ANALECTA HYMNICA

MEDII AEVI.

Herausgegeben

von

Clemens Blume und **Guido M. Dreves.**

XXV.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

Liturgische Reimofficien

des

Mittelalters.

Fünfte Folge.



Leipzig.
O. R. Reisland.
1897.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

Liturgische Reimofficien

des

Mittelalters.

Fünfte Folge.

Aus

Handschriften und Wiegendrucken

herausgegeben

von

Clemens Blume,
S. J.

Leipzig.
O. R. Reisland.
1897.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S
COLLEGE
LIBRARY

JUN - 8 1938

10805

VORWORT.

Im XXIV. Bande der Analecta sind die Reimofficien auf die Festtage des Herrn und der allerseligsten Jungfrau zusammengestellt worden, soweit diese nicht schon in früheren Heften zum Abdruck gelangten. Hieran schlossen sich in alphabetischer Reihenfolge Historien auf Heiligenfeste, die ausschliefslich italienischen Handschriften entnommen wurden.

Die drei nun folgenden Hefte werden in gleicher Anordnung Reimofficien für Heiligenfeste bringen, die zum gröfseren Teile aus deutschen Handschriften stammen, so indes, dafs die alphabetische Reihe durch alle drei Hefte hindurchlaufen, im vorliegenden von Achatius bis Eskillus reichen wird.

Bezüglich der Verfasser ist zu den bereits gedruckten Reimofficien folgendes nachzutragen:

1. Das Officium auf das Fest Trinitatis, Anal. V, 19 ff., ist, wie XXIII, 5 f. bemerkt wurde, von dem Franziskanerdichter John Peccham, Erzbischof von Canterbury († 1292) verfafst. Zu den dort vorgebrachten Belegen kann noch hinzugefügt werden das Zeugnis des Frater Franciscus Titelmannus: „Inter cetera autem eius [Pechani] monumenta illud ut quantitate minimum ita sententiarum sublimitate atque dictionis maiestate est dignissimum, quod de sacrosancta Trinitate ad suae fidei sempiternam protestationem compositum ex pontificis summi approbatione legitur et canitur ab omnibus ecclesiis, quae Romanae ecclesiae in canonicis horis persolvendis usum tenent.“ [1])

1) Liber de sacrosancta et superbenedicta Trinitate. In quo ecclesiasticum officium, quod in illius sollemnitate legit Romana ecclesia, clare lucideque exponitur. Per fratrem Franciscum Titelmannum Hasselleusem, sacrarum scripturarum apud Lovanienses praelectorem. Eiusdem oratio de praematura morte bonorum. Antwerpiae apud Michaelem Hillenium Hoochstratanum. An. MDXXX. Mense Ianuario. fol. D 6b. — Dieses Werk enthält fol. D 5 bis D 7: „De Ioanne Pechano huius officii ecclesiastici de sancta Trinitate auctore ex antiquis et fide dignis historiis.“

Zu bemerken ist, dafs Pecchams Officium ursprünglich nur beim Franziskanerorden in Brauch war und blofs in solche römische Bücher überging, die seit Sixtus IV. von Franziskanern besorgt wurden. Sonst findet sich in den römischen Büchern das ältere Officium, das teils prosaisch ist, teils Doxologieen von verschiedener Art und verschiedenem Metrum als Antiphonen verwendet.

Dieses letztere Officium wurde auf eine, wie es scheint, mifsverstandene Stelle der Gesta episcoporum Leodiensium hin dem Bischof Stephan von Lüttich († 920) zugeschrieben. Es heifst nämlich in diesen (Monum. Germ. VII, 200 n. 20): „Tricesimum nonum habuimus Stephanum, qui eo quod Metensis ecclesiae fuerit canonicus et protomartyris alumnus, de inventione ipsius quae cantantur responsoria edidisse dicitur. Verum ut de incertis taceamus, idem vitam s. Lamberti simpliciter antiquitus dictatam urbani sermonis expolivit facetiis et responsoria, quae in sollemnitate eius cantamus, composuit, scribens ad domnum Herimannum archiepiscopum, memorati Willeberti successorem. Idem ipse responsoriorum, quae de sancta trinitate cantantur, auctor fuit, quod nos quidem ignorabamus, credentes, quod fama habebat, nescio quem Hubaldum ipsorum fuisse compositorem. Sed infra hoc fere decennium, dum aliquae in armario revolverentur cartulae, insperato una ex his inventa est a successore praedicti venerabilis Stephani nomine Richario edita, cuius exemplar, ut fidem astruamus omnibus, quicumque huius rei veritatem scire volunt, non ab re credimus huic inserere opusculo.“

Es folgt hierauf das Dokument, datiert „Actum est hoc Leodii sub die 16. Kal. Dec. anno Dom. 932, indictione 5. regnante Heinrico rege gloriosissimo anno 15.“ (l. c. n. 21, p. 201). Indessen besagt dasselbe nichts weiter, als: „ . . . . quia venerabilis vir, praecessor videlicet noster Stephanus, in honore s. Trinitatis quaedam responsoria cum antiphonis nocturnalibus sive matutinalibus nec non vespertinalibus totumque ad plene officium dulcissime modulationis *stabilire curavit*“ (l. c. p. 200). Das heifst aber nicht, er habe das Officium, sei es Text oder Musik, gemacht, sondern eher machen lassen.

2. Verfasser des Officiums auf den hl. Trudo (Anal. XIII, 251 ff.) ist Theoderich, Abt von St. Trond (1098—1107). Cod. Leodien. 278. saec. 15. et 16., aus welchem l. c. das Officium mitgeteilt wurde, bietet nämlich fol. 208a—220a einen

„Catalogus abbatum monasterii sanctissimi Trudonis confessoris, compendiumque gestorum eorumdem“, und berichtet daselbst fol. 214a: „[Theodericus abbas 1098—1107] sermonem de translatione sanctorum Trudonis et Eucherii, Vitam item divi Trudonis, cuius initium est: *In exaltando*, responsoria insuper, antiphonas, hymnos denique, quae in natali sancti Trudonis cantantur condidit, denique Vitam sanctorum Bavonis et Rumoldi.“

Dieses Officium findet sich auch im Cod. Leodien. 12. saec. 12. Derselbe enthält fol. 70a ff.: „Vita [sti Trudonis] auctore Theoderico abbate“; fol. 93b ff.: „Sermo Theoderici abbatis de translatione sanctorum Trudonis et Eucherii“; fol. 96b ff.: „In festivitate S. Trudonis, Officium divinum, neumatibus notatum.“ Dasselbe ist abgedruckt in den Analecta Bollandiana V, 365 ff.

Ein Vergleich der Officien in den beiden Codices ergibt folgende Nachträge: Cod. 12. hat zum Officium ad 1. Vesperas den Hymnus „Iste confessor Domini sacratus“, während Cod. 278. dafür „Eia, fratres, iam plaudite“ (Anal. XII, 237) substituiert. Letzteren Hymnus hat Cod. 12. in 2. Vesperis. Ferner steht der Hymnus ad Matutinum „Somni spreta dulcedine“, sowie der Hymnus ad Laudes „Ad laudem regis gloriae“ (beide Anal. l. c. 238 f.) nur in dem jüngeren Cod. 278. Beachtung verdient aufserdem, dafs die genannten Hymnen den zweisilbigen stumpfen Reim überall mit gröfster Reinheit durchführen, während er in den übrigen Teilen des Officiums wohl vorhanden, aber minder sorgfältig eingehalten ist. Demnach dürfte es zweifelhaft erscheinen, ob trotz der angezogenen Stelle aus Cod. 278. der Abt Theoderich als Verfasser auch der Hymnen zu gelten hat.

Cod. 12. hat in 1. Noct. nur 5 Antiphonen, von denen übrigens die drei ersten bereits als Antiph. 2—4 ad 1. Vesp. verzeichnet sind; dafür in 2. Noct. deren 7. Richtiger ist die gleichmäfsige Verteilung zu je 6 Antiphonen im Cod. 278, der als 6. Antiphon in 1. Noct. jene aufweist, welche im Cod. 12. als 1. Antiphon in 2. Noct. steht. Ferner stehen die 4 Antiph. ad Horas des Cod. 278. im Cod. 12. als Antiph. 2—5 ad Laudes.

Zugleich möge hier der Ausfall einer Zeile in 1. Vesp. ad Magnificat (Anal. XIII, 251) berichtigt werden; statt „Funde preces tuo gregi“ ist zu lesen:

Funde preces tuo regi,
Ut succurrat suo gregi.

BQ
5253
.A5
H25

Cod. 12. bietet schliefslich fol. 100b f. noch einiges aus einem Officium „In translatione S. Trudonis et Eucherii", welches bis auf 18 Zeilen nur Prosa, bezw. Reimprosa enthält.

3. Das Officium auf den hl. Ludwig „Ludovicus, decus regnantium" (Anal. XIII, 185 ff.) nebst den zugehörigen Hymnen (Anal. XI, Nr. 317 bis 319) hat nach Histoire littéraire de la France XXII, 129 f. Arnaldus de Prato, Prior von Toulouse († 1306), zum Verfasser. Von Interesse ist die l. c. beigefügte Bemerkung: „Cet office . . . fut adopté dans les maisons des frères Prêcheurs et usité en France jusqu' au commencement du XVIIe siècle. Seulement l'édition du bréviaire de Paris, en 1584, a substitué aux anciennes leçons des leçons historiques tirées de Paul Emile et de Clichthové; mais les hymnes ont été conservées."

4. Als Verfasser des Officiums auf den hl. Vincenz Ferreri ist aller Wahrscheinlichkeit nach der Magister generalis des Dominikanerordens, Martialis Auribelli anzusetzen; jedenfalls sind die zu diesem Officium gehörigen Hymnen (Mone III, 555 f.) von ihm verfafst, wie das Akrostichon des ersteren, nämlich „*Martialis*" beweist. In diesem Hymnus „Mente iucunda iubilent fideles" ist Strophe 7, Zeile 1 zu lesen: Lingua quae sancta, nicht: Sancta quae lingua, wie bei Mone l. c., der das Akrostichon übersehen hat.

Zum Schlusse sei mir eine Bemerkung gestattet, die mehr oder minder auch für die noch folgenden Bände unserer Analecta ihre Geltung hat. Um mich nicht gar zu sehr mit fremden Federn zu schmücken, schulde ich den Lesern dieser Hefte die Erklärung, dafs mein lieber Freund und Kollege Guido Maria Dreves mir nicht nur sein reiches Material an Abschriften, Collationen und wertvollen Notizen zur freien Benutzung überliefs, sondern auch sonst in jeder Hinsicht mich durch Rat und That unterstützte. Unter solchen Umständen Eigenes und Erborgtes nur annähernd zu trennen und als solches zu bezeichnen, wäre unmöglich; es genüge ein für allemal der Vermerk, dafs der Löwenanteil auf Rechnung meines werten Kollegen kommt. —

Wien, den 13. Oktober 1896.

Clemens Blume.

HISTORIAE RHYTHMICAE.

SERIES QUINTA.

I. De sancto Achatio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Adsunt festa gloriosa
beatorum martyrum,
Qui sub Adriano passi
palmae ferunt bravium.

2. Adrianus, rex profanus,
adscitis sex regibus
Turbam sacram subnervare
suis temptat legibus.

3. Leo frendens, rete tendens,
diis cervicem flectere
Iubet sanctos, sed incassum
litus arat vomere.

4. Hostias laudis litamus,
inquiunt, altissimo,
Deos vanos refutamus
cum ritu nequissimo.

Ad Magnificat.

A. Gaude, virgo mater ecclesia,
regis iuncta filio,
Quae tot natos laureatos
de huius mundi exsilio
Repraesentas pacifici
Salomonis celso solio,
Quorum festum sacrae
passionis
colimus cum gaudio
Defensari cupientes
horum pio patrocinio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Dominum
crucifixum vere,
Pro quo dena milia
crucem subiere.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Viri beatissimi
pestilentis Caesaris
Non perstant in semitis
aut parent consiliis.

2. Frementis insania
Machinans inania
Contra Christi martyres
Sex adscivit proceres.

3. Sacra turba martyrum
Ferre diis libamina
Artatur, recalcitrat,
Iesum Christum invocat.

4. Gloriantur martyres
in te, Iesu bone,
Quos coronas dulciter
missa passione.

5. Iesu Christe, tuum nomen
laudat admirabile
Candidatus grex sanctorum
pro te fuso sanguine.

6. Stupendis magnaliis
phalangem sanctorum
Mirificans extulit
princeps angelorum.

Responsoria.

1. Adspirante rabie
persecutionis
Sub diro carnifice
Adriano calicem
bibunt passionis
V. Sancta dena milia
Martyrum sanctorum
Pro Christi confessione.

2. Applicatur regio
Tribunali legio
Sancta Dei,
Negare compellitur
Sacramenta fidei,
V. Sed nec terrore concutitur
Nec blandimento seducitur.

3. Pro salute mundi natus
Deus est ex virgine
Et in cruce victimatus,
Quem ignoras, perfide
V. Caesar, non obtemperamus
Tibi, sed hunc adoramus.

4. Iussu regis crucifixi
sunt beati martyres,
Omnes poenas perferentes,
quas rex caeli passus est,
Ipsa hora elementa
tremuerunt omnia,
V. Caelum, tellus, sol et luna
et polorum sidera.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec est generatio
Dominum quaerentium
Et pro Christi gloria
sese impendentium.

2. Honor et laudatio
decet sanctos martyres,
Laus et exsultatio
purpuratos milites.

3. Benedicunt Dominum
sancti, qui victoriam
Contulit per passionem
et supernam gloriam.

4. Factus est refugium
in cruce pendentibus
Sanctis Christus et trames
caelos ascendentibus.

5. Citharizant dulciter
harmoniam melicam
In supernis atriis
inter turbam caelicam.

6. Sanguis fusus martyrum
clamat ad te, Domine,
Qui pro te effusus est
in arborum stipite.

Responsoria.

1. Vidit ante thronum Dei
quasi mare vitreum
Iohannes, supra quod stabat
ingens turba martyrum
Cristallinis buccinantes
tubis agni canticum.
V. Adoraverunt viventem
in saecula saeculorum
Mittentes coronas suas
ante Dei thronum.

2. O quam glorifico
fulserunt sidere sancti
Isti, qui Christi
meruerunt esse ministri,
V. Per diram poenam
patriam tenduntadamoenam.

3. Tunsionibus, pressuris
sacra dena milia
Velut lapides politi
per crucis supplicia
Poli transierunt
ad aedificia.
V. O caelestes margaritae,
Per mortem crucis politae.
Post ruinam passionis
Dati palmis et coronis.

4. Gaude, caelum, terra, plaude,
Chorus speciali laude
Martyrum purpuratorum
Regem laudet saeculorum
De augmento sociorum
Martyrum pretiosorum,
Quos hodie Christus vocavit
Et in caelis coronavit.

V. O benigna
legio sanctorum,
Nos commenda
regi angelorum.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Laetis canamus mentibus
Tot paradisi rosis,
Plus balsamo fraglantibus,
Plus auro speciosis,
Qui meruerunt vincere
Mundum crucis agone
Christoque mortem reddere
Conformi passione.

Responsoria.

1. Dum libarent calicem
fellis et aceti,
Transfiguntur lanceis
in agone laeti,
Repraesentant animas
aeternae quicti.

V. *Venientes venient cum exsultatione portantes manipulos suos.*

2. Distenduntur in cruce,
dissolvuntur venae,
Cedunt vires vividae,
temporales poenae
Sunt respectu gloriae
perpetis amoenae.

V. *A planta pedis usque ad verticem non est in eis sanitas, vulnus et livor et plagae tumentes.*

3. Illibatas facies
vitiorum luto
Caedunt, velant, inquinant
hostes Dei sputo,
Spinae serto capita
cruentant acuto.

V. *Infirmata est in paupertate virtus eorum, et omnia ossa eorum conturbata sunt.*

4. Avete, flores martyrum,
Phalanx electissima,
Pretiosorum militum
Cohors splendidissima,
Ante thronum trinitatis
Agnum stantes adoratis
Cum palmis victricibus.

V. *Nos tantae vestrae felicitatis facite participes.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dominus rex martyres
induit decorem,
Qui suum pro Domino
fuderunt cruorem.

2. Iubilet altissimo
circulus monarchiae
Tot micanti sidere
perfusus hac die.

3. Adhaeserunt martyres
post te, Iesu bone,
Consummati propter te
crucis passione.

4. Benedicant Domino
omnes creaturae,
Quae compassae fuerant
martyrum torturae.

5. Laudes canant Domino
regi saeculorum
Cum turbis angelicis
organa sanctorum.

Ad Benedictus.

A. Benedictus es, Domine,
Qui transtulisti hodie
Candidatum exercitum
Ad caeleste palatium

Coronatum mirifice,
Quorum precibus, rex pie,
Nostra dele piacula
Et da lucis gaudia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O benedicti martyres,
Estote nostri memores,
Vestra crux, vestra vulnera
Sint contra nostra scelera
Tutamen ac remedium;
Caeleste beneficium,
Quod impetrastis a Deo,
Procuret homini reo
Solamen, opem, veniam
Et post hoc exsilium
Tranquillitatis patriam.

Brev. ms. Cisterciense Neerland. saec. 14. Cod. Pianoren. M 1. A. — Clm. Monacen. (ol. Emmeramen.) 14926. saec. 15. B. — Brev. ms. saec. 14. Cod. Treviren. 431. C. — In 1. Noct. **A** 3, 1 Sancta turba B. — In 2. Noct. **R** 1 O quam glorifico etc. B. — **R** 2 lautet in B:

Salomonis lectulum
ambiunt fortissimi,
Circumcincti gladiis,
ad bella doctissimi,
V. Ad arcendas daemonum
Virtutes et noctium
Domanda phantasmata.

R 4 Avete flores martyrum etc. B. — In 3. Noct. ad Cant. A in B:

Mare rubrum transierunt per crucis supplicia
Sancti, Domino canentes hymnum cum laetitia.

R 1 in derselben Quelle:

R. Talia praeparaverunt martyres eximii,
Qualia prius sumpserunt in mensa sui Domini,
V. Tradiderunt propter Deum corpora tortoribus,
Unde triumphant in caelis cum supernis civibus.

R 2. Vidit ante thronum Dei etc. B. — **R** 3 ebenda:

R. De torrente passionis
In via dum bibit,
Turba sacrae legionis
Aureum adivit
Per ascensum purpuratum
Regis Salomonis reclinatorium.
V. Signis clarescit
haec, illic gloria crescit.

In Laud. haben AB nur eine Antiphon, die erste; die andern vier stehen in B ad parvas horas. Es zeigt aber ihre Bezugnahme auf die Psalmen der Laudes, dafs sie ursprünglich für die Laudes bestimmt sind. — **A** 1 Ista sanctorum pia societas etc. prosaisch C. — Ad Bened. **A**, 3 Candidatorum B. — Ad Horas hat A folgende **AA**: ad Primam:

Hi sunt flores venustatis,
Quos spirantis gratiae
Ver et aestas caritatis
Produxerunt hodie.

Ad Tertiam: O caelestis legio, victrix turma martyrum purpuratorum decem milium, etc. — Ad Sextam: Benedicant Domino etc. — Ad Nonam:

Istorum collegio
Caeli vernat regio,
Fulcitur ecclesia,
Paradisus fraglat,
Mundus redimitur.

In 2. Vesp. hat A vier **AA**: Gaudeat ecclesia, quam tot natalitia martyrum fecundant etc., die einem Ursulaofficium (Anal. V, 238) entlehnt sind. — Ad Magn. **A**: O caelestis legio victrix etc., prosaisch B; siehe oben ad Tertiam; O veneranda martyrum gloriosa certamina etc. prosaisch. C. — C, das nicht monastisch ist, hat in den Nocturnen folgende Anordnung: In 1. Noct. **A** 1, 2, 3 und **R** 1, 2, 3 der ersten Nocturn; in 2. Noct: **A** 4, 5, 6 der 1. Noct., **R** 1. Jussu regis crucifixi etc. **R** 2. Talia praeparaverunt etc. **R** 3. Avete flores martyrum. — In 3. Noct. **A** 1, 2, 3 der 2. Noct., **R** 1. Vidit ante thronum Dei etc. **R** 2. De torrente passionis etc. **R** 3. Gaude, caelum, terra, plaude etc. — In 2. Vesp. hat diese Hs. fünf **AA** nämlich 4, 5 und 6 der 2. Nocturn, dann als **A** 4 die zwei ersten Distichen aus **R** 2 der 2. Noct. und als **A** 5 den Vers. des **R** 3 derselben Noct. — Zum Officium hat B den Hymnus: Agni sponsa Hierusalem (Anal. IV, 64) ad Vesp.; Natura creans omnia (Ibid. 65) ad Noct.; Hymnizantes exsultemus (Ibid. 65) ad Complet.

2. De sancto Achatio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude, felix Alexandria,
   Quae es stipata floribus,
   Cum Christo in gloria
   Fulcita es martyribus.
2. Martyrum sanguine
   Sanata ab inguine,
   Christi tuta munimine
   Tunc hostes nocent minime.
3. In caelesti gloria
   Achatii memoria
   Semper requiescit,
   Cuius inter homines
   Laus nunquam decrescit.
4. Laudabilis Dominus,
   Cum quo regnat Achatius
   In caelestibus,
   Ubi vox laetitiae
   Sanctis nunquam desinet,
   Et maeror tristitiae
   Ultra non imminet.
5. In caelis meruerunt
   Lumen gloriosum,
   Qui in terris fuderunt
   Sanguinem pretiosum.

Ad Magnificat.

A. O dulcis sanguis martyrum,
   O mitis turba militum,
   Quae pie propter Dominum
   Fudit cruorem nimium.
   Pro his oret Achatius
   Suis cum consortibus,
   Qui eius sollemnia
   Celebrant in gloria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi, qui fecit opera,
Christo confiteantur,
Cuius in sancto vulnera
Achatio renovantur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In consilio impiorum
   Sancti non steterunt,
   Sed in via iustorum
   Vitam invenerunt,
   In qua Achatius
   Vivit vir beatus.
2. Sancti adstiterunt,
   Ad Deum clamaverunt,
   In nos, Christe, dicentes,
   Quare fremuerunt gentes?
3. Vindica sanctorum
   Sanguinem tuorum,

Nam sunt cruciati
Et eorum hostes,
Domine, multiplicati.

Responsoria.

1. Sanctus martyr Achatius
Suis cum sodalibus
Regnum introivit,
In quo cum martyribus
Et cum sanctis omnibus*
Semper Deo vivit.
V. Omnibus haec vox dicitur:
Venite, sancti Dei,
Dum cor eorum quatitur,
Ad regnum patris mei.

2. Martyrum ductor respuere
Iussit momentanea mundi,
Dicens: nolite admittere,
Ne nos seducant,
blandimenta saeculi.
V. Ecce adpropinquat
regnum caelorum,
Surgite, adorate.

3. Achati, cum sociis
Implora preces ad Dominum,
Ut nos salvet a morte
Et ad vitam ducat,
Ut tecum gaudere
Possimus in saecula.
V. *Ora pro nobis, beate Achati, ut digni efficiamur gloria Christi.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Thura non offerimus,
Sed Christo sacrificium
Immaculatum,
Qui in sinu patris
Dominus inhabitat.

2. Christus veritatem
Nec non pietatem
Sanctis conservavit,
Malum venumdavit.

3. Tunc sancti martyres
Quasi uno ore
Fundentes preces ad Dominum
Dixerunt omnes pariter:
Omnis creatura
Est Domini et terra.

Responsoria.

1. Venite, revertamur
Ad Dominum, qui nos salvabit,
Percutiet nos martyrio,
Salvabit
Nos misericordia.
V. *Magnus Dominus et laudabilis nimis, qui coronavit martyres sanctos.*

2. *Quare rubrum est indumentum tuum et vestimenta tua sicut calcantium in torculari?*
Torcular calcavi
Cum consortibus.
V. O vos omnes, qui transitis,
Propter Christi tormenta
Oportet tormentis sequi.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In cithara Deo psallite
Et in cymbalis concinite,
Sancti, in Domino et iusti
Exsultate.

2. Iuxta es, Domine,
Tribulatis corde,
Ore et opere
Benedicentur.

3. Gaudete et laetamini,
Quia orationes nostrae
Coram Christo,
rege immortali,
Veraciter exauditae sunt,
Qui est nostrum refugium,
Deus noster.

Responsoria.

1. Christi ad imaginem
Sancti fuderunt sanguinem
Unanimiter,
Quos ad regnum caelorum
Et ad sanctorum chorum
Vexit Dominus hilariter.

V. Hos ensis non terruit
Nec hostis, dum irruit
In eos graviter.

2. Flores apparuerunt,
Dum sancti transierunt
De hoc mundo ad sidera,
Ubi regnant in gloria;
Quibus respondit Dominus,
Dum peteret Achatius:

V. *Quae petistis, dilectissimi mei, scitote vos impetrasse.*

3. Si quaeris miracula,
Mors, error, calamitas,
Daemon, lepra fugiunt,
Aegri surgunt sani,
Cedunt mare, vincula,
Membra resque perditas
Petunt et accipiunt
Juvenes et cani;

V. Pereunt pericula,
Cessat et necessitas,
Narrent hi, qui sentiunt,
Et Alexandria.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctis cum martyribus
Martyr Dei Achatius
Ad regna transmeavit,
In quibus ante saecula
Dominus regnavit.

2. Quorum sanguis innoxius
Cum in contritione
Fusus est alacrius
In exsultatione,
Deum laudant avidius
Cum iubilatione.

3. Ad te sanctorum animae
Sitiunt non minime,
Quorum dux Achatius
Pro te est in cruce passus,
Et te, rex regum, Domine,
Non tacent benedicere.

4. Sancti et electi,
Qui estis transvecti
Ad caeli superna,
Deum benedicite,
Cuius in caeli culmine
Achatius est verna.

5. Deum laudant omnia,
Caelum, terra, maria,
Qui duxit ad caelestia
Sanctos suos in gloria.

Ad Benedictus.

A. O pauperum subsidium,
O exsulum refugium,
Qui mortem crucis subisti
Martyrque factus es Christi,
Ad te tui pauperes
Clamamus et exsules:
Nos stantes in exsilio
Commenda Dei filio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O martyr invictissime,
O princeps insignissime,
Tuis cum consortibus
Illis sis propitius,
Qui te in exsilio
Implorant pro auxilio;
Achati, Deo care,
Pro nobis deprecare.

Brev. ms. Secoviense (?) saec. 14. Cod. Graecen. 471. — Ad Matut. Invit. 1. Regi regum, qui fecit. Dasselbe ist dem Officium impressionis stigmatum s. Francisci entlehnt. — In 1. Noct. **A** 3, 3 sunt fehlt. — In 2. Noct. **R** 2 De cetero nemo mihi molestus sit etc. prosaisch aus Gal. 6, 17 sq. — In 3. Noct. **A** 3, 5 Qui est noster. — **R** 3 ist dem Officium auf Antonius von Padua entlehnt. — Der **A** ad Bened. geht eine andere prosaische Antiphon vorher, der ad Mag. in 2. Vesp. folgt eine eben solche.

3. Missa sancti Achatii.

Introitus.

Congaudentes laudent gentes
agmina nobilia,
Militum crucifixorum
sancta dena milia,
Per quos Deus mundo praestat
dona mirabilia.

Graduale.

Qui honorant crucifixos
cum pura instantia,
Dena milia sunt semper
pro illis orantia,
Nunquam sinunt illos mori
sine paenitentia,
Namque Deus donat illis
altum privilegium,
Vincla solvens peccatorum
decenorum milium.
V. Speciales horum servi
cum de mundo transeunt,
Dena milia crucifixi
concurrentes veniunt,
Transeuntes adiuvando
precibus communiunt.
V. Si poenarum loco dentur
et non aeternalium,
Habent martyrum per preces
decenorum milium
Indulgentiam dierum
sic denorum milium.

Alleluja.

Sancta quippe mater tota
praedicat ecclesia,
Quod per merita sanctorum
Deus dat auxilia,
Paenitentibus confessis
donat indulgentiam.

Offertorium.

Cessent ergo malignantes
neque per invidiam
Detrahendo molestare
martyrum potentiam,
Ne in fine sint damnati
per Dei sententiam.

Communio.

Gloria sit crucifixo,
honor, iubilatio,
Qui est rex crucifixorum,
vita, consolatio,
Quos amavit, coronavit
in caeli palatio.

Cod. Vatican. 1205. saec. 15. — Introit. 5 Per quos Dominus. — Grad. 1 Qui ergänzt. — Ibid. 7 Exercitum regnum per omnes Deus donat illis. — Ibid. 9 Vincula. — Ibid. 10 milia. — Ibid. 19 per ergänzt. — Allel. 5 et confexis. — Dies in Rhythmus und Reim gekleidete Mefsformular ist aufs engste den Reimofficien verwandt, weshalb es unter diesen seinen Platz findet.

4. De sancto Adriano.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laetare, plebs catholica,
Deumque magnifica
Pro pietatis gratia
Adriano praestita.
2. Qui de stirpe nobili
Secundum statum saeculi
Eius traxit originem,
Hunc suum fecit militem.
3. Maximiani tempore
Pugnavit invictissime,

Quod superavit lividam
Quam gesserat, perfidiam.

4. Hic fuit admirabilis
Adspectu delectabilis,
Totus morigeratus.

5. Sed his cunctis praeditus
Sprevit ea penitus
Et mundi principatus.

R. Benedictus Dominus
Sit, qui suam gratiam
Adriano contulit
Miramque efficaciam,
Sortem mundi spernere
Et caelica diligere.

V. Divitesque nobiles,
Per hanc normam discite,
Gestus vestros fragiles
In fortiores vertere.

Ad Magnificat.

A. O beate martyr Christi,
Qui credendo meruisti
Fieri quam plurium
Possessor praemiorum,
Tu pro nobis, pater pie,
Roga regem veniae,
Ut post haec exsilia
Det nobis vera gaudia.

Ad Completorium.

Ad Nunc dimittis.

A. Sancte Adriane,
Martyr Christi pretiose,
Adesto nostris precibus
Pius ac propitius.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem regum veneremur
Nos de corde fragiles,
Ut per actus confortemur
Adriani vigiles.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ab ore nostro suscipe,
Iesu Christe, vota
Ad honorem martyris
Adriani mota,
Digna cuius memoria.

2. Maximiani tempore,
Caesaris iniqui,
Paganorum plurimi
sunt accersiti,
Ut fiat idolatria.

3. Inter quos quidam fuerunt,
Qui fidem catholicam
Sollerter tenuerunt
Timentes supplicia.

Responsoria.

1. Dum ad idolatriam
tendunt pagani,
Renituntur plurimum
quidam Christiani,
Dicentes ignominiam
Sanae mentis pessimam

V. Et verum Deum asserunt
Christum, deos respuunt
Suorumque familiam.

2. His actis Maximianus
Furit hinc et fit insanus,
Iubens, ut hi trucidentur
Ac flagellis verberentur
De nervorum funibus
Inflictis suis cutibus.

V. Gaudet cohors dure caesa,
Fide manens sed illaesa,
Delectat cruciatibus.

3. O mira clementia
Dei salutaris,
De nostra convertentia
Qui semper gloriaris,
Da robur, fer auxilium
Nobis convertendi
Et pro delictis gravibus
Tempus paenitendi,
Ut post vitam civibus
Collaetemur caelitibus,

V. Quibus nunc laus est perennis
Status vitaeque sollennis,
Dulce ministerium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hos affligi quando vidit
Adrianus, inquisivit,
Quae spes foret praemii
Pro tanta vi supplicii.

2. Quorum unus sic respondit:
Deus nobis haec abscondit
Neque pandit homini
Civis honores caelici.

3. His jam dictis se prostravit
Annotarique rogavit
Illis in suppliciis
Pro talibus divitiis.

Responsoria.

1. O quam mira
viri professio,
O quam magna
Dei concessio,
Hic solo verbo credidit,
Quod in discendo docuit;
V. Benedictum nomen Dei,
Qui sic miseretur rei
Et ad fidem imbuit.

2. Hujus pro martyrio
Sis nostra salvatio,
Iesu pie, Christe bone,
Nos consortes fac coronae
Tu vitae perpetuae,
V. Qui convertis peccatores,
Effice nos meliores
Tuae luce gratiae.

3. De cuius conversione
Quando Caesar intellexit,
Ingenti plenus motione
Verbis saevis hunc correxit,
Putans per daemonium
Effectum tam erroneum.
V. Qui resistit Maximiano
Actis et exemplo sano,
Verum Deum adstruit,
Quem Caesar falsum arguit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Adrianus fide plenus,
Vanae spei alienus,
Dicta regis vilipendit
Et in factis reprehendit
Pro cultura numinum,
Quae culpam auget criminum.

2. Unde rex nimis miratur,
Fremit totus et turbatur
Hunc ad Christum sic conversum
Et a suis diis diversum.

3. Et torqueri iubet dire
Cum flagellisque ferire,
Quod eruperunt viscera
Sanguinem fluentia.

Responsoria.

1. Quo perfecto Natalia,
Uxor eius valde pia,
Adit hunc, ut consoletur,
Ne pro poenis separetur
A fidei munimine,
Pro quo dignum confitetur
Christi mori nomine.
V. Cuius gesta nuntiavit
Christicolis in carcere,
Quos constanter roboravit
Pari consolamine,
Ne diffidant, sed iam credant
In Deo, vero lumine.

2. Maceratus Adrianus,
Carceri committitur,
Uxor eius hinc timore
Nimio corripitur,
Timens multum, quia laesus
Cruciatus sperneret
Et sic memor tantum caesus
Votum suum perderet.
V. Cui fatur haec matrona:
Certa certus pro corona
Hac immarcessibili,
Quae confertur tormentatis
In spe iugis praemii.

3. O sancta cohors et praeclara,
Humiliter deposcimus,
Nostrae preces Adriani
Quod sint iunctae precibus,
Et ab hostis tam immani
Protegamur lusibus,
Ne in orbis huius navi
Demergamur fluctibus.

V. Adiuvent nos merita
Vestra perbeata,
Ut quos gravat actio
Nostra scelerata,
Excuset intercessio
Iesu Christo grata,
Quod scelerum remissio
Nobis fiat data.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Consolatus ab uxore
gaudet mirabiliter,
Alienus a timore
pares monet fortiter,
Ut pro poenis non desperent
infligendis graviter.

2. Colloquentes mutuo
sic congratulantur,
Salvatori libere
laudes personantur
Ob hoc, quod doloribus
tantis cruciantur.

3. Dies adest interim,
quo praeconizatur,
Ut ad poenas redeant,
cito deputatur,
Impotentes deferuntur,
quo nequibant ire,
Ad locum, ubi puniuntur
ultra modum dire.

4. A beato Adriano
res initiatur,
Quod uxoris fieri
interventu datur,
Ne fiat retrogradus,
hoc acceleratur.

5. In conflictu posito
pedes amputantur,
Membra nec non cetera
ipsi detruncantur,
Sola manus illi fuit
non tamen amputata,
Quam abscindi fecerat
uxor praerogata.

Ad Benedictus.

A. In agone cruciatus
dum sic laboraret
Et creatori animam
suam commendaret,
Natalia capiti
manum subiecit,
In qua reclinando
vitae finem fecit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Post haec hunc cum paribus
rex cremari jussit,
Protegente Domino
nil eos combussit,
Sed retorta in actores
flamma hos perussit,
Quo turba regia
fuit conturbata,
Corpora ad Constantinopolim
quorum sunt translata
Et a Christi fidelibus
inibi sepulta.

Antiph. ms. S. Mariae Traiecten. saec. 14. Cod. Ultraiectin. 407. A. — Antiph. ms. S. Mariae Traiecten. saec. 13. Cod. Ultraiectin. 406. add. saec. 15. B. — In 1. Noct. **A** 3, 1 quidam tamen fuerunt AB; 3, 3 solenter AB; **R** 3, 2 nostri AB. — In 2. Noct. **R** 1, 3 O fehlt AB. — In 3. Noct. **R** 2, 11 Hac ergänzt; **R** 3, 5 quam AB. — Hiezu der Hymnus: Sancte martyr Adriane (Anal. XXIII, 104).

5. De sancto Aegidio.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

O quam miranda est
potentia salvatoris
In meritis beati
Aegidii confessoris,
Qui apud Deum et homines
dignus memoria
Cum sanctis iam aeterna
tripudiat in gloria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

O comites vitae,
Dominum meditando venite,
Aegidii meritis
sic similes eritis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus Aegidius,
Natione Graecus,
Nobilis erat progenie,
Sed nobilior sanctitate.

2. Traditus igitur
Liberalibus studiis
Memoriter coepit viam
Indagare veritatis.

3. Quadam die
Pergens ad ecclesiam
Cuidam aegroto
Tradidit tunicam suam.

Responsoria.

1. Beatus Aegidius
Per divinam potentiam
Sanavit miserum quendam,
Qui a serpente percussus
Mortiferum
In se habuit virus.

V. Misericordia motus
super illum
Sanavit eum ac dimisit.

2. Sanctus vir Aegidius
Magnam fiduciam
Habens in Domino
Liberavit quendam pauperem
Arreptum a daemonio.

V. Daemon clamans
Et multum discerpens
Discessit ab eo.

3. Sanctus Aegidius
Inter alia terrae
Pellens sterilitatem
Infirmo cuidam
Totius corporis
Reddidit sanitatem,

V. Recolens illud, quod dicitur:
Quis infirmatur
Et ego non infirmor?

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Secuta est ergo
pietas pietatem,
Quia dum aeger ille
indutus est tunica,
Totius corporis meruit
recipere sanitatem.

2. Sanctus vir Aegidius,
Navim ingressus
Applicuit ad Marsiliam
Et inde ad Arelatem
Ibi Caesarium quaerens,
Caesarium sitiens
Caesarium adivit episcopum.

3. Sicut socrum Petri
Febricitantem
Sanavit Dominus,
Sic ibi cuiusdam
Viduae filiam
A febre liberavit
Aegidius.

Responsoria.

1. O quam praeclara duo
Mundi convenere
Luminaria,

Aegidius et Veredemius,
Signa insimul operantes
Multifaria
V. Et seminaverunt agros
Et plantaverunt vineas.

2. Veredemium ergo
Corpore non mente
Relinquens
Desertum petivit,
Ubi herbis et aqua
Contentus
Solus soli Domino
Servivit.
V. Qui per corvum
Pascebat
Eliam
Ipse Aegidium
Reficiebat
Per cervam.

3. Sanctissime Christi
Confessor Aegidi,
Ora pro nobis
In conspectu Domini,
Ut de praeteritis
Malis veniam
Et de futuris
Semper mereamur
Habere custodiam.
V. Qui arborem virtutum
ascendisti cum Zachaeo,
Pro supplicibus tuis
dignanter supplica Deo.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus Aegidius
Adiunctus est cuidam
Veredemio,
Sanctus sancto,
Ut sanctitas alterius
Cognosceretur.

2. Vir non modicae
In Christo fidei
Ostia Romae
Sibi tradita commisit
Tiberique
Ad monasterium patris
Quasi Petri per mare
Ferebatur vestigiis.

3. Serve Dei vivi,
miserorum pastor, Aegidi,
Nunc pius exaudi,
quod nos canimus tibi laudi.

Responsoria.

1. Iam Dominum laudet,
qui se pie vivere gaudet,
Ut pater hic vixit,
qui mundo se crucifixit;
V. Dives enim
pauper fuerat,
Moriens cotidie
Domino vivebat.

2. Vox clamantis erat
sibi, dum deserta petebat,
Ingrediendo vias
eremi velut alter Elias,
V. Associatus ei,
qui fons pius est requiei.

3. Moribus uniti
vos verae iungite viti,
Ut pater hic suevit,
qui mundi gaudia sprevit,
Fructiferae vitis
odor ut per saecula sitis,
V. Pacis tranquillae
sitientes gaudia mille.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Rex Francorum Karolus
Quoddam perpetravit facinus,
Quod nulli dicere ausus
Sancti Aegidii
commendavit precibus.

2. Beato Aegidio
pro Karolo rege
Inter missam
supplicante Domino

Peccatum regis et venia
peccati per cartulam
Delata est ab angelo.

3. Adiunctum erat
in fine cartulae,
Quod sancti Aegidii
meritis quilibet
Peccator absolvatur
a crimine,
Si ulterius non vult
admittere.

4. Sanctus vir Aegidius
Ad Karolum iens
Daemoniacum sanavit,
A Karolo rediens
Cuiusdam principis filium
A morte resuscitavit.

5. O virum per omnia
laudabilem
Et cunctis se invocantibus
exorabilem,
Qui ex antiquo hoste Deo gratam
De se referens victoriam
Hodierna die perpetuam
Transivit ad gloriam.

Ad Benedictus.

A. Ante thorum regis
sanctorum iuncte choreis,
Associando tibi
superis nos confer, Aegidi,
Simus ut haeredes,
ubi viti palmes inhaeres.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Laus immensa Dei
sunt huius festa diei,
In qua Graecorum
flos scandit ad alta polorum
Inclitus Aegidius,
quia dulcia vota per eius
Vincula rumpuntur,
tempestates reprimuntur,
Sedantur morbi
totique salus datur orbi.

Brev. ms. Wirceburgense saec. 15. Cod. Rossian. VIII 57. A. — Brev. Wircoburgense imp. Venetiis 1507. B. — Cod. S. Petri Salisburgen. a VI 52. saec. 15; in monastischer Form. C. — In 1. Vesp. Super Ps. **A** Serve Dei vivi etc. A. — Ad Nunc dimittis **A** Sanctus vir Aegidius ad Karolum iens etc. A. — In 1. Noct. **R** 1, 1 Sanctus A. — **R** 3, 7 quod dicit C. — In 2. Noct. **A** 1, 4 induit se A. — **R** 1, 1 praeclara dico A. — In 3. Noct. **A** 3, 3 Nos A. — **R** 3, 3 Et pater hic servit A. — **R** 3, 6 ordo ut per A. — **R** 3, 8 sitiens A. — **R** 4 in C:

R. Quanta Aegidius fulget gloria
Hoc in mundo caelique curia,
Sanitatum probat frequentia:
V. Lepram mundat, fugat daemonia,
Aegris eius subvenit gratia.

In Laud. **A** 2, 5 veniam A; **A** 2, 7 Deleta A. — **A** 5 lautet in C:

Sit rex invictus, Deus Israel, benedictus,
Gentem Gallorum qui fecit habere patronum
Aegidium, captos qui liberat, erigit aegros;

vielleicht ursprünglich eine Antiphon zum Benedictus. — Ad Bened. **A**, 3 Associanda sibi A.

6. De sancta Agatha.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Ad beatae virginis
Festum cum fervore
Procedamus martyris
Huius in honore.

2. Gratia, munditia,
Pneumate quod habuit,
Et virtutum copia
Sancta Dei claruit.

3. Agia sidereum
Intuens decorem

Sine terra terreum
Spreverat amorem.

4. Theo servit iugiter,
Consummate loquitur,
Quintianus acriter
Dum instabat, vincitur.

In 1. Nocturno.

Responsoria.

1. Ordo rei panditur,
Consularis igitur
Rursus praesentatam
Inquirit de genere,
Satagens evincere
Verbis affectatam.

V. Tua quae conditio?
Sermonis auspicio
Dixit ad beatam.

2. His respondet ardua:
Virgo sum ingenua,
Mea stirps testatur,
Sed me servam facio,
Quia Christo servio,
Per quem stemma datur.

V. Summa ingenuitas
Servitutis pietas
Christi comprobatur.

3. Abhinc diis immolare
Iussa, studet profanare
Factum tanti sceleris:
Iovi tuo sis aequalis,
Fiat uxor tua talis,
Qualis dea Veneris;

V. Haec respondet iudici,
Quam praecepit affici
Poena genae verberis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Miror, ait consulari,
Si vir prudens diceris,
Quod nos velis imitari,
Cum deos praefeceris.

2. Nam si bonos arbitraris,
In me quare motus mentis?
Quod si horum exsecraris
Simulacra, mecum sentis.

3. Quintianus subicit:
Cursus verbi sufficit,
Da diis sacrificia
Vel senties supplicia.

4. Ad haec inquit virgo fortis:
Non formido poenam mortis,
Si promittis mihi feras
Christus . . . . . .

Per Horas.

Ad Tertiam.

A. . . . . .
. . . . . pias
Angelus monstravit,
Qui ad caput corporis
Visus scriptum marmoris
Tabulam locavit.

Ad Sextam.

A. Anni circulus emensus
Dum post mortem fuerat,
Super urbem mons accensus
Incendium vomuerat.

Ad Nonam.

A. Hoc pagani non ferentes
Tumbae velum capiunt,
Quod ad ignem opponentes
Cessantem effugiunt.

In 2. Vesperis.

R. O mens sancta spontanea,
Vasculum honoris Dei,
Per te salvatur patria,
Memorare, quaeso, mei,

V. Constantiae tu specula
Ac turris firmae fidei.

Antiph. ms. Vallis Florum (?) saec. 14. Cod. Bruxellen. 6426. — Die Handschrift hat einem belgischen Cistercienserinnenstifte gehört, deren Patronin die hl. Agatha war. Bei welcher Abtei letzterer Umstand zutraf, vermochte ich nicht zu ermitteln. Die Hs. ist leider verstümmelt; es fehlt daher in 1. Vesp. die Antiphon ad Magnif., von der nur die erste Zeile noch vorhanden: Alma Christi sponsa mentem. Die Antiphonen der 1. Vesp. bilden also das Akrostich: Agatha. Es fehlen die sechs **AA** der 1. Nocturn, 2 **AA** und 4 **RR** der 2. Nocturn, die ganze dritte Nocturn, die **AA** ad Benedictus und ad Primam. Die **A** ad Magnif. in 2. Vesp. ist prosaisch: O felix et inclita virgo, quae meruit Dominum per laudem fidelis martyrii sanguine clarificare suo etc.

7. In Translatione s. Agathae.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Exoptata nitent
sollemnia, vespere claret,
Arridet, rutilat
famosa diecula, ratum
Carminis obsequium
gens exhibet Christicolarum.

Ad Magnificat.

A. O clemens Agatha,
conscendens gaudia lucis,
Nobis et nostris
adsis, pellatur ut hostis,
Omnes gaudentes
redeant ad patriam gentes.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Virginis tota
Mater ecclesia
Agathae nota
Colit sollemnia.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Plaude, felix Catania,
Tanta dotata virgine,
Quae spreta nunc Bisantia
Te sua lustrat chlamyde.

2. Tu sacrarum forma virginum,
Vas insignis gratiae,
Iam decorum sponsa thorum
Postulas Cataniae.

3. Suscipit haec felix
post haec Catania dona,
Laeta satis plaudit
tanta venerata patrona.

Responsoria.

1. Felix festum laetabundi
celebremus hodie,
Quando corpus gloriosum
Tantae matris Agathae
Deportatum Dei nutu
Partibus a Graeciae;
V. Ista dies est praecellens
Et plena laetitiae.

2. Magnificae laudis
Agathae nunc sumite festa,
Plausibus hymnorum
precamina laudis honesta,
V. Sit procul a nobis
vitiorum turba molesta.

3. Navigantes vero viri
Comitante martyre
Et per terras et per mare
Dei freti numine
Cataniam devenerunt
Obsistente nemine,
V. Ubi tuti quieverunt
Et sine formidine.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec, si festiva
peragantur laude suorum,
Instruit et nutrit,
defensat culmine morum.

2. Dicant ergo: bona
cuncti mater atque patrona,
Tu fidei verae
custos, famulis miserere.

3. Laudum Deo victimas
omnes iubilemus,
Ut post mundi scopulos
tartara vitemus.

Responsoria.

1. Exsultet Catania
iam te duce, cui venit a te
Lux, honor et vita,
te poscimus, alma, pudica,
Subvenias, Agatha,
miseris tuosque guberna,
V. Civibus ut superis
iungantur in aede superna.

2. Duo viri fide iuncti,
gente, natalitia,
Nocte sacrum rapuerunt
corpus ab ecclesia
Atque secum detulerunt
omni cum laetitia,
V. Ambo quippe tunc in urbe
commanebant regia.

3. Cum ad urbem ferebatur
Agatha Cataniam,
Praesul, clerus populusque
processerunt obviam,
Temperantes suam multum
provide laetitiam,
V. Sicque summae deitati
referebant gloriam.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Venit mater ad suos filios,
Ut gubernet et conservet eos,
Graecos quidem relinquens orphanos,
Quos a fide invenit devios.

2. Laetare, urbs Catania,
Tantae patronae Agathae,
Huius cole sollemnia,
Nam pro te orat hodie.

3. Ut tua sit nobis
translatio digna salute,
Fac nos, o Sicula,
caelum conscendere tute.

Responsoria.

1. Constantinopolis
tanti fleat anxia solis
Damnum; tu plaude,
lauda, iubila, cane, gaude,
Plebs, animo laeta,
tanto splendore repleta;
V. Gaudens exsulta,
tam sacro pignore fulta,
Laetitia multa,
plebs, plena laude resulta.

2. O quam festiva,
praelucida, clara, iucunda,
Illa dies, divam
qua Christus de maris unda
Traxit tunc Agatham
tanta virtute nitentem,
V. Cuius virtute trahit
haec ad caelestia gentem.

3. Gaude, tota
mater ecclesia,
Gaude, laeta
simul Italia,
Sed tu magis
gaude, Catania,
Tantae matris
agens sollemnia,
Magna cuius
ditaris gloria,
Cuius saepe
sentit auxilia
Mundus gaudens
propinans gaudia,
V. Christi semper
lauda praeconia,
Tumba facta
matris eximia.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Postquam Graecos Agatha
am Tamqu lutum sprevit,

Sibi sponsam hodie
Cataniam induit.

2. Catania iam suscipit
Hanc in devotione,
Quam et ipsa nunc recipit
In iubilatione.

3. Haec in mundo redolens,
Rubens velut rosa,
Terra semper permanens
fuit in aquosa.

4. Profecta, ut promittitur
Et scriptura dicit,
Virgo Graecum deserens
Deum benedicit.

5. Agathae Cataniam
Translatio decorat,
Quae pro suis Dominum
Laudat et implorat.

Ad Benedictus.

A. Adest illustris Agathae
Festum relationis
Graecorum spreto climate,
Scuto defensionis
Transacto mundi tramite
Caelestis mansionis
Nobis beneficium
Impetret et honoris.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gaude, tellus
tota Italiae,
Laeta matris
laudibus Agathae,
Et tu turba
plaude Cataniae,
Tantae facta
capax laetitiae,
Cuius mater
inclita hodie
Cataniam est
relata corpore.

Brev. Gallicano-Siculum imp. Venetiis 1527. — In 1. Noct. **A** 2, 2 Graeciae. — In 2. Noct. **A** 1, 3 Hos instruit. — **A** 2, 2 mater et patrona. — **R** 3, 2 Cataniensem. — In 3. Noct. **A** 3, 4 conscendere rite. — **R** 2, 8 haec ergänzt. — In Laud. **A** 5, 3 dominam. — Ad Bened. 4 Suo defensionis. — Die Hymnen des Officiums vgl. man Anal. XXII, Nr. 12—15.

8. De sancta Agnete.

In 1. Vesperis.

R. Florum fasciculus
Fragrans per saecula,
Inundans rivulus
Pigmenti pocula,
In annis teneris
Ardoris facula,
Ave, prae ceteris
Felix iuvencula,
V. Vernans carbunculus
In regni solio,
Amoris titulus
Lucens in atrio.

Ad Magnificat.

A. Speciosa gemmula,
fide subarrhata,
Inter choros virginum
virgo sublimata,
Nuptiis agni
agna copulata
Oscula sentis
iam desiderata.
Per te laborans filia
fuit consolata,
Quae iam cum matre libera
regnas coronata.
Tolle facinora
per precata,
Per te tranquillitas
sit collata;
O benigna, laude digna,
Quam evexit et provexit
Vis amoris.

Ad Completorium.

Ad Nunc dimittis.

A. Chori caelestes, plaudite,
Concinentes occurrite,
Agni sponsa traducitur
Mira praelucens specie,
Luce lustrata gloriae
Regnum lucis ingreditur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Agnum sponsum collaudemus,
dominorum dominum,
Qui hanc sponsam praeelegit
Agnam, decus virginum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Congaudentes
Caelorum civibus,
Omnes gentes,
Plaudite manibus,
Insistentes
Agnetis laudibus.

2. Sponsi desiderio
Aestuans languore
Migrat Agnes roseo
Perfusa cruore.

3. Per greges sodalium
Sponsi quaerit thorum,
Carnis tollunt pallium
Custodes murorum.

4. Ad Agnetis tumulum
Noctu excubantes,
Hanc in coetu virginum
Cognoscunt parentes.

5. Congaudete laudibus,
Quia Deo grata
Sum cum istis omnibus
In caelo locata.

Ad Benedictus.

A. Sponsa Sion,
adorna thalamum,
Spiret myrtus,
myrrha, thus, balsamum,
Junge carmen
epithalamium;
Instruuntur
regales nuptiae,
Agnes agno
nubit munditiae,
Sponsa sponsi
dotatur specie.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Ab ortu solis
ad terrae cardines
Sponsam agni
collaudent virgines.

Ad Tertiam.

A. Jam amplexibus
castis adstricta sum
Et corpori eius
sociata sum.

Ad Sextam.

A. Auri regis casti gregis
Preces offer hodie,
Quae iam pascis et quiescis
Lucis in meridie.

Ad Nonam.

A. Opem nobis gratiae,
O martyr, implora,
Quos in cultu vincae
Nona gravat hora.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O gemma pudicitiae,
Virginitatis speculum,
O iubar innocentiae,
Puritatis spectaculum,
Duc ad triumphum gloriae
Nos, Agnes, ad agniculum.

Orat. ms. Dorotheae de Mittelhusen anni 1449. Clm. Monacen. 10 930. — In 1. Vesp. R, 1 Florem. — Ibid. 9 carbunculis. — Ibid. 10 solium. — Ad Magn. A, 10 sit. — Ad Matut. Invit. 2 dominam. — In Laud. Nach A 5 steht noch folgende überzählige A:

O admirabilis Christi potentia,
Qua venerabilis Virgo Castantia [!],
Plena vulneribus, Ab elephantia
Agnetis precibus Mundatur saucia.

Ad Bened. A 10 fehlen zwei Silben; nubit ergänzt. — Ad Nonam A 2 o mater. — In 2. Vesp. ad Magn. A 5 O dux ad triumphi. — Ibid. 6 fehlt eine Silbe; Nos ergänzt. — Die zugehörigen Hymnen cfr. Anal. IV, Nr. 112—114.

9. De sancto Alexio.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Fraudis commentum sternitur,
Dum stupor almus cernitur,
Opulentus nobilis,
Mente fixus immobilis,
Hilaris mendicus,
Mundum spernens, Christum
cernens,
Cui factus est amicus,
Iubilando collaetemur
Alexio, iucundemur
Alto nato sanguine,
Qui pauperum in agmine
Mendicabat victum.
Pugil dirus, victor mirus,
Te canimus invictum;
Nos mendicos animae
Mortis in examine
Refocilla micis tuae sortis ditis
Summis additari.
O Alexi, quae neglexi,
Fac recuperari.

R. O stupor patientiae,
Alexi, clementiae
Sidus radiosum,
Supplicibus pro tuis ora,
Mortis ne damnemur hora,
Thronum sed gaudiosum
Scandamus ovantes
Post te, cave, ne
Chaos foedet umbrosum.

V. Noxia caduca refutare,
Ad summa nos, Alexi, festinare,
Mundum repudiare
Fac flagitiosum.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus omnium,
Caeli terraeque Dominum,
Qui vincendi robur mundum
Indidit mirandum
Alexio, qui furibundum
Hostem stravit nefandum.
Eius per patientiam,
Stupendam egestatem,
Miram cordis clementiam,
Contemptam vanitatem,
Flagitamus precibus,
A nexibus exutos
Nos habe, mundi faecibus
Hic, o Christe, pollutos.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus summo regi,
Resistere qui carnis legi
Fecit athletam fortem,
Alexium, qui mortem
Sprevit, ut angelorum
Se faceret consortem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mens in Dei laude fixa,
Frixa contemnens et elixa,
Mendicando pascitur,
Qui velut princeps nascitur.

2. In amore vixit Christi,
Quae sunt mundi, mente tristi
Pensavit blanditia,
Resecavit vitia.
3. Caput eius exaltavit
Christus, hic dum superavit
Hostis maligni fraudem,
Ad alta fudit laudem.

Responsoria.

1. Ex Romanorum
alto conscendit stipite,
Gladio mundum
ferens ancipite,
Eufemiani
natus pius Alexius,
Quae inquinabant,
pensabat perplexius,
Anhelans ad superna
V. Affectione gradiens interna
Ad ea, quae sursum sunt,
Late lucens lucerna.
2. Pubescente Alexio
Imperiali de solio
Virgo decora
sibi desponsatur,
Quam continenter vivere
Docuit, se visere
Sanctorum velle
loca fabulatur
V. Sponsa clementer annuit,
Quod sponsus pie maluit,
Ei congratulatur.
3. In Edissam urbem pergens
Vestibus abiectis,
Gazas pro Christo cunctas spargens,
Has habens pro infectis,
V. Mendicando victum quaerens,
Limina Mariae terens
Opibus despectis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctum nomen Domini
Digne mirificavit,
Pensans nil mundo vilius
Caelestia captavit.
2. Scuto suae voluntatis
Hunc Deus protexit,
Exemplum dum humilitatis
Iugiter erexit.
3. Christi nomen admirabile
In eius corde non labile
Fortiter sitivit,
Dum parvipendens infima
Tendit ad sublimia,
Ferventer quae concupivit.

Responsoria.

1. Annis decem et septenis
Marcebat in Edissa
Vanis spretis et obscenis
Mendicans veste scissa,
Agnitus demum beatus
Veneratur pie,
Aufugebat Deo gratus,
Huius spernens viae
V. Blandimenta, navim scandens,
Nutu Dei Romam tendens
Ad templum Mariae.
2. Patrem, matrem, sponsam cernens
Incognitus abibat gaudens
Doloris lectum sternens,
Quem lacrimis irrigat;
Peregrinus victum petit
Propter Alexium,
Gemens pater mox recipit
Hunc in eius atrium.
V. Decem et septem annis ibi
Incognitus permansit sibi
Semen serens floridum.
3. Dum laboris exitus instabat,
Vitam in carta manu signabat,
Quam nisi summus pontifex
Extrahere valebat.
V. Qui flendo legens seriem
Cunctorumque manêriem,
Quae littera canebat.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dolum non egit labiis,
Solutis mundi stadiis

Est vectus ad suprema
Supernorum civium,
Divorumque spirituum
Adeptus diadema.

2. A te vitam petiit,
Laetus ad culmen rediit,
Ubi sine fine
Versatur laetitia,
Calcatur maestitia
Afficiunt nec minae.

3. Domini conscendit montem,
Mundum debellans hic sontem
Innocens est manibus
Nec victus inanibus.

Responsoria.

1. Eiulatum flebilem
Dabant haec audientes,
Clamorem insanabilem
Pilos evellentes
Parentes eius iterant
Haud volentes consolari,
Ut insani delirant
Nequeuntes fari.

V. Confluebat infirmorum
Turba copiosa,
Suorum recordantes dolorum
Curam gaudiosa;
Facti stupendum exitum
Coeperunt admirari.

2. Odoris mira fragrantia
De corpore sacrato
vaporavit,
Populi turmatim frequentia
Gressum portantum hoc
praeoccupavit.
Pecuniarum copia,
Quos angebat inopia,
Sparsa non revocavit,

V. Cupientes plus sanari,
Quam gazas locupletari;
Sic Deus hunc mirificavit.

3. Praesul Innocentius,
Arcadius, Honorius,
Imperatores divi,
Sanctum corpus propriis
Portarunt palmis, humeris,
Devotionis rivi
Stillarunt ab oculis
Sequentium defunctum.
Alexi, tuis loculis
Populum adiunge fide functum.

V. Exemplum patientiae
Fac tuae consectari,
Deum, patrem clementiae,
Pro nobis stude, pater, deprecari.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Indutus fortitudinem
Alexius decoris,
Mundi linquens testudinem
Est sociatus supernorum
choris.

2. Servivit in laetitia
Summo plasmatori,
Amputando vitia
Volens in Christo mori.

3. Ad fontem vivum
Cor eius sitivit,
Cursum spernens hic declivum
Christum regem adivit.

4. Egenus in induviis
Deum benedixit
Cordis in tripudiis,
Dum sine labe vixit.

5. Dei praecepta mendicus
Minus praeterivit,
Supernorum est amicus
Effectus, quae concupivit.

Ad Benedictus.

A. Sedentem in tenebris
Christus illuminavit,
Qui se carnis illecebris
Parumper implicavit,
Quae sursum sunt, non infima
Mente fixa sectando,

Sinceritatis azyma,
Non fermentum sumendo.
O confessorum sidus clarum,
Exstingui qui non vales, earum
Thesaurum nobis praesta,
Ne mortis taetra testa
Nos obfuscet. Post hoc vae
Ad caelos trahe nos post te,
Dei confer iuvamen,
Pro nobis sis precator. Amen.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O virum mirabilem,
Alexium laudabilem
Suis in operibus,
Diva quae fecit virtus,
Cuius per iuvamen
Nostrum pietur famen
Detque sacrum nobis flamen
Nunc et semper Deus. Amen.

Brev. ms. Misnense saec. 15. Cod. Eistetten. 8° 72. A. — Brev. Misnense imp. s. l. 1483. B. — Viaticus Misnensis imp. Lipsiae 1502. C. — Diurn. Misnense imp. Lipsiae 1511. D. — Brev. Misnense imp. Lipsiae (?) 1517. E. — In 1. Vesp. **A** 1, 1 commenta CE. — In 3. Noct. **A** 1, 3 vexus CE. — **A** 3, 2 insontem CE. — **R** 1, 6 Aut nolentes C; aut fehlt E.

10. De sancto Alexio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Plebs Romana, de patrono
Tuo gaude libere,
Qui iam fulget caeli throno
Ut in lucis sidere.

2. Hic mirandae paupertatis
Gaudet privilegio,
Nam abundans eget satis
Patris in hospitio.

3. Alexius, propagatus
De stirpe nobilium,
Zelat Christum, aspernatus
Nitorem natalium.

4. Corde tendens in supernis
Secundum carnem vivere,
Horret iussis de paternis,
Licet cogatur nubere.

5. Alienam concupivit
Suo David solario,
Suam castam custodivit
In sponsae diversorio.

R. Virtus Dei
provexit Alexium,
Huius vitae
post durum exsilium
Super caeli
conscendit solium,

V. Se per sacrum
exercens studium,
Cunctis fuit
lux et prodigium.

Ad Magnificat.

A. Novum sidus, nova stella
Romanis exoritur,
Dum hic sanctus sua cella
Ex hoc mundo tollitur,
Hic de caelis ostenditur
In domo patris iacere,
Qui iam non potest latere,
De supernis proditur
Populi cum laetitia
Decantantis Alleluia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum regem adoremus
In beato Alexio,
Ut nos iungat imploremus
Huius sancti consortio.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tamquam lignum fructiferum
In caelesti rosario
Redolet hic in posterum
Romanorum collegio.

2. Invidebat
ei patris familia,
Sed hic propter
Deum in patientia
Alapas et
probra suffert ac vilia,
Sciens Deum
suum pati similia.

3. Tu susceptor es, Domine,
Sancti tui in gloria,
Granum purum de fragmine
Excussa primo palea
Bonus cultor in culmine
Reponit ut in horrea.

Responsoria.

1. Alexius ex nobili,
Licet de matre sterili,
Exstitit oriundus,
Prosapia et vigili
Cura vitaque caelibi
Nutritur informandus;
V. Ut Samuel postulatur
Alexius ac donatur
A Deo matri flebili.

2. Gaudet parens de filio
Uterque, quem mox studio
Tradunt liberali,
Pneumatis sancti gratia
Datur illi scientia
Viro plus quam a mortali.
V. Sic spiritus ubi manat,
Mox libertas alta planat
Absque voce magistrali.

3. Hinc provectum dicunt sui
Tradendum esse nuptui
Sicut decet suo pari,
Sed si iungatur nuptiis,
Carnis tamen officiis
Se nolebat mancipari,
V. Sicut nubi nec nubere
Angelique adsistere
Suo volunt salutari.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sacrificium iustitiae
Tibi, Deus, obtulit,
Quando tamquam pellem hostiae
Superflua repulit.

2. Ad te orabat, Domine,
Hic beatus Alexius
Et in tua dulcedine
Exauditur uberius.

3. Domine, quam mirabilis
In sanctis et laudabilis,
Sed tamen in Alexio,
Quem praeclarum tot signorum
Reddis cunctis et decorum,
Nostra tendit devotio.

Responsoria.

1. Spreto nexu coniugali
Comitatuque pompali
Hic ad Edissam Syriae
Tendit, ut mens eius tota
Christo daretur remota
Cameli superficie,
V. Ab omnibus abstinere
Se volebat et habere
Illud bravium gloriae.

2. Aemulator paupertatis
In habitu vilitatis
A suis dum requiritur,
In alterum iam mutatus
Virum et alienatus
Penitus non agnoscitur:
V. Qui sunt eius, Christus novit,
Mundus autem non agnovit,
A quo ipse non colitur.

3. Dum vir sanctus vult orare,
Custos non sinit intrare
Limen in ecclesia,
Sed hunc mandat introire
Et custodem praeterire
Virginis iconia;
V. Hic Beniamin in excessu
Mentis, sicut in processu
Iam patet historiae.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic, qui facit iustitiam
Et servat innocentiam,
Ut beatus Alexius,
In tuo tabernaculo
Hoc testante versiculo
Habitabit superius.
2. Alexium praevenisti
In benedictionibus
Et coronam posuisti
De gemmeis lapidibus
In capite eius, unde
Cum sanctis gaudet abunde.
3. Haec est generatio
Quaerentium Dominum,
Quorum postulatio
Prae filiis hominum
Heredem promeruit,
De caelis quem genuit.

Responsoria.

1. Sed ne favor laudis vanae
Pulset eius cor inane
Satanae versutia,
Tarsum tendens vento flante
Adit Romam dispensante
Sic divina clementia,
V. Ne cuiquam sit fastidio,
Disponit manere
Sui patris hospitio
Ibique degere.
2. Apud patrem hospitatur,
Sed filius ignoratur
Sub pauperis effigie,
Hic a servis exprobratur,
Irrisui cunctis datur
Pauper, ubi divitiae.
V. Hic est Paulus iam secundus,
Cui crucifixus est mundus,
Dives in pauperie.
3. Vox de caelo protestatur,
Quod pro Roma deprecatur
Iam assumptus in gloria,
Adhuc vivens chartae tomo
Descripsit in patris domo
Suam vitam per omnia;
V. Ecce, liber involutus
Virtutum signaculis
Aperuit resolutus
Signa magna populis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Domum tuam, o Domine,
Inhabitat Alexius
Dierum longitudine
Tamquam heres et filius.
2. Omni hora qui servivit
Tibi, Deus, nunc iubilat
Et atria introivit,
Ubi nox non obnubilat.
3. Hic vigilat ad te, Deus,
Plus relinquens quam Zachaeus,
Nil retinens de propriis,
Propterea nunc repletur
Bonis tuis et meretur
Caelorum frui gaudiis.
4. Benedictus es, Domine,
Qui tamquam lux in lumine
Refulges in Alexio,
Quem uno die tollere
Placet tecum de corpore
Ex quodam privilegio.
5. Sol et luna te mirantur
In caelis sublimatum,

Te virtutes venerantur
In terris propalatum.

Ad Benedictus.

A. Erexit cornu Dominus
Salutis in Alexio,
Nam aegroti sunt protinus
Eius sani praesidio,
Caeci vident et loquuntur
Muti, daemones pelluntur,
Sospes quisquis regreditur,
Nos, qui sumus vitiati,
Morbo munda nunc peccati,
Quod a nobis ingeritur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Dum aurora huius vitae
Finem daret Alexio,
Ecce, fluunt Romanitae
Cum papa Innocentio,
Nunc claret in eminenti,
Qui fuerat sub nubilo,
Et abiectus est ingenti
Revelatus cum iubilo,
Candelabrum sub modio
Iam non latet, sed medio
Nostrae fulget ecclesiae
Caelesti fruens requie.

Brev. Maguntinum imp. s. l. et a. (1474). A. — Brev. Maguntinum imp. Lugduni 1507. B. — In 1. Noct. **A** 3, 6 in borea. — In 3. Noct. **A** 1, 6 Habitabit supernis B. — **A** 2, 2 benedictionibus dulcedinis B. — **R** 2, 8 Qui crucifixus. — In Laud. **A** 1, 4 haeres te filius. — Hymnen: ad Vesp. et Noct.: Laetare Sion inclita (Morel 195); ad Laudes: Mirus contemptor saeculi, Divisio des vorigen (Morel l. c).

II. De sancto Alexio.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Ecclesiam Christi
Refove, Alexi,
Quae festa tua piis
Excolit officiis.

R. Beatus papa cum duobus
Romanorum principibus
Praecedens omnem populum
Portat corpus ad tumulum
Agensque Deo gratias
Celebravit exsequias.

V. *Vox exsultationis et salutis in tabernaculis iustorum.*

Ad Magnificat.

A. Illuxit dies celebris,
Nullis turbanda tenebris,
Qua verae lucis filius
Assumptus est Alexius,
Verum in tuo lumine
Lumen visurus, Domine,
Cuius placatus precibus
Praesta nobis supplicibus,
Ut nos mane et vespere
Tibi velis adsistere
Teque post cum Alexio
Contemplemur in gaudio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Vigilemus animo
Iubilantes altissimo,
Qui elegit egregium
Confessorem Alexium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Generosis parentibus
Romae puer est genitus.
Qui digne gignentium
Salus erat et gaudium.

2. Qui eruditus omnibus
Doctrinis liberalibus

Carnis huius prudentiam
Reputabat stultitiam.

3. Accepit virgo virginem
Ut sororem non coniugem.
Cum brevi moratus est,
Peregre profectus est.

Responsoria.

1. Erat Romae vir nobilis
Et uxor eius sterilis,
Quae Deo dante filium
Enixa est Alexium.

V. *Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum laetantem.*

2. Puer parentes, patriam
Et omnem mundi gloriam
Ac semet ipsum abnegat,
Ut Christum lucrifaciat.

V. *Ingreditur sine macula et operatur iustitiam.*

3. Apud Edissam Syriae
Prae foro ecclesiae
Sedit exsul Alexius
Deum orans attentius.

V. *Iste pauper clamavit et Dominus exaudivit eum.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum esset in exsilio,
Omni die dominico
Sacra Christi mysteria
Fide percepit integra.

2. Hic diebus ac noctibus
Totus erat in precibus,
Cuius scandit oratio
Incensum coram Domino.

3. Ibi tandem angelico
Declaratus oraculo
In atrium receptus est
Alexius . . . . . .

Responsoria.

1. Advenerunt interea
Legati de Italia
Iussu patris ac civium
Inquirentes Alexium,
Quos agnoscens vir inclitus
Ipse mansit incognitus

V. *Omnibus diebus vitae suae.*

2. Interea Alexius
Patri suo fit obvius,
Quem recognoscens protinus
Adhuc mansit incognitus.

V. *Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem.*

3. Manet in domo filius
Quasi servus emptitius,
Ubi a servis varias
Perpessus est iniurias,
Quem nemo novit dominum
Usque ad vitae terminum.

V. *Iustus non conturbabitur, quia Dominus firmat manum eius.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cumque immensis laudibus
Praefertur, apostolicus
Vere favorem populi
Fugit ut petram scandali.

2. Profectus ergo peregre
Tarsum volebat pergere,
Ut nulli notus amplius
Sederet solitarius.

3. Sed . . . . . .
. . . . . .
Invitum raptum flatibus
Infert Romanis finibus.

Responsoria.

1. Instante iam articulo,
Quo migraret a saeculo,
Vitam suam Christicola
Brevi scribit epistola,

V. *Ut cognoscat generatio altera.*

2. Adstante omni populo
Audita est vox de caelo,
Quae requirendum nuntiat,
Qui pro Roma intercedat

V. *Intonuit de caelo Dominus et altissimus dedit vocem suam.*

3. Qua die factor omnium
Mortis transiit supplicium,
Mortis futurae praescius
Defunctus est Alexius.

V. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Tibi, rex regum, Domine,
Qui mira fortitudine
Praecinxisti Alexium,
Sit laus, honor, imperium.
2. Tibi mater ecclesia
Iubilat in laetitia,
Diem colens eximii
Confessoris Alexii.
3. In qua nobis diluculo
Donetur contemplatio
Cum peccatorum venia
Per ipsius suffragia.
4. Te benedicant omnia,
Qui facis mirabilia
Per beatum Alexium
Iuxta fidem poscentium.
5. Exsultare nos facias
Ad ipsius excubias,
Qui in sanctorum curia
Iam exsultat in gloria.

Ad Benedictus.

A. Ut sciret omnis populus,
Quod verus Dei famulus
Sanctus esset Alexius,
Aegri curantur ocius,
Caecorum vel debilium
Quisque sentit auxilium;
Cuius nos, Christe, precibus,
Absolvas a criminibus,
Ut sciat omnis populus
Quia tu es Deus solus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Electus est ex milibus
Mille colendus laudibus,
Sanat Dei Alexius
Et confessor eximius
Multa sanctorum milia,
Praecellens in gloria,
Qui dignus fuit hodie
Videre regem gloriae,
Quem in decore proprio
Visuri sunt cum gaudio
Soli sanctorum oculi
Post finem huius saeculi;
Unde tuos, rex caelice,
Vultu sereno respice,
Ut mereamur perfrui
Visione vultus Dei.

Brev. ms. Secoviense saec. 15. Cod. Graecen. 1548. — In 2. Noct. A 2, 4 Sicut incensum. — In Laud. A 3, 1 Qua nobis. — Ad Bened. A, 4 acrius. — Ibid. 8 ergänzt. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 6 Praecellis gloria. — Die Hymnen vgl. Anal. IV, 73.

12. De sancto Amato.

In 1. Vesperis.

R. O sardonyx candide
Carnalitatis desertione,
Castitatis amplexione,
Rubicunde proximi
Dilectione,
Nominis peroptimi
Voce gloriaris,

V. Amatus es nominatus
Et a cunctis praelaudatus.

Ad Magnificat.

A. Gaudeat plebs orthodoxa
Sine labe, sine noxa
Iucundetur clerus totus
Et nunc Deo sit devotus;
Amati festalia
Celebret ecclesia,
Concinat cum melodia
Melos clarum, Alleluia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus vigiles,
Fortes, senes, debiles,
Et Amatum praesulem
Laudemus et humilem.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex nobili stirpe natus
Hic noster praesul Amatus
Deo puer est oblatus
A patre, qui voverat.
2. Agaunensis coenobii
Ad honorem Mauritii
Ducis factus est monachus
Sub Benedicti regula.
3. Davidicis et aliis
Libris sacris, vigiliis,
Virtutibus eximiis
Puer sacer imbuitur,
Et plus semper perficitur.

Responsoria.

1. Prima sua iuventute
Pollens Amatus virtute
Eremum concupivit,
Montem solus accersivit
Iohannem imitando,
V. Sprevit mundi consortia
Puer sine malitia.
2. Ab abbate requisitus,
Ut cum grege revertatur,
Armis Dei est munitus
Nec credit blanditiis;
V. Deo servire cupiens
Et iugum leve subiens
Discedere recusavit.
3. Tunc pro victu sibi soli
Ut adquirat viam poli,
Panem cum lympha postulat
In triduo ministrari.
V. Cum his cibis utebatur.
Spiritus iucundabatur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum fatigatum videret
Et quod sudorem praeberet
Nuntius, qui cibum portat,
Compatiendo labori
Atque nuntii sudori
Preces fudit Domino.
2. Ut Moyses sanctus undas
Prece fecit fundi mundas
De petra durissima,
Sic Amati prece pura
De petra percussa dura
Manat aquae copia.
3. Tugurium construitur,
Minor mensura scinditur
Trabs, quae, quando mensura-
tur,
Prece sancti prolongatur.

Responsoria.

1. Saxum quoddam mobile,
Adspectu terribile,
Iussu sancti fit stabile,
Quod ruere iam coeperat;
V. *A Domino factum est istud*
et est mirabile in oculis nostris.
2. Quadrageno iciunio
Quo maior sit afflictio,
Sex nucleis utebatur,
Die quaque contentatur.
V. Iciunando et orando,
Continue laborando
Corpus suum macerabat.
3. Molam quandam revolvebat,
Sic otium repellebat,

Nudis plantis ambulans,
Crucem corde baiulans
Martyr erat voluntate
Et vivens in puritate
Mundum vicit caritate.

V. *Vincenti dabo edere de ligno vitae.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sedunensis regionis
Vir magnae religionis
Aurum praeses obtulit,
Quod recusavit Amatus
Postea factus praelatus
Et repertum abiecit.

2. Ab abbate Luxovii
Visitatus coenobii
Consolatur humiliter,
Cum quo pergit Luxovium
Ubi claruit nimium
Huius sancti commercium.

3. Loco sacro Deo deserviens
Et praeceptis legis oboediens
Praesul factus Sedunensis
Sit nostri scutum et ensis.

Responsoria.

1. Theodoricus, Francorum
Rex, suasione malorum
Exsilio deputavit
Innocentem praesulem;
Vir mirae constantiae
Atque magnae prudentiae
Sustinuit viriliter
Iussum factum crudeliter.

V. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.*

2. Virtutes et prodigia
Fecit multis utilia
Atque multa miracula,
Quae scripta sunt matricula,
Ne pereat memoria.

V. *Gloriam et honorem imposuisti super eum.*

3. Dum Amatus regi producitur,
Matris Dei templum progreditur,
Et dum per hunc cappa exuitur,
Oratio per ipsum funditur,
Iubar caeli desuper claruit,
Cameracae plus quam sol micuit,

V. Et sic patuit sanctitas
Primitus abscondita,
Sic claruit civitas
Super montem posita.

4. Aurivillae basilica
Sepultus est mirifice,
Laudes sibi cantantibus
Choris atque fundantibus
Ecclesias multiplices,
In quibus psalmos supplices
Sibi cantant cotidie
Cantu magnae melodiae.

V. Erit eius
sepulcrum gloriosum,
Cuius est opus
Domino gratiosum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Amatus hic nominatus,
Eremita Deo datus,
Supra caelos est translatus.

2. Signo crucis est munitus,
Inimici pravus ritus
Per ipsum repellitur.

3. Ab obsessis corporibus,
Dum imperat daemonibus,
Ipsos fugat miraculo.

4. Ab angelis visitatur,
Vivens solus comprobatur
Signis mirabilibus.

5. Tanta erat eius potentia,
Quod voce sua sedula
Nullus daemonum ad hunc accedere
Ausus erat vel ipsum tangere.

Ad Benedictus.

A. O antistes gloriose,
Pastor gregis speciose
Ac in prole generose,
Intercessor esse velis
Pro plebe tibi commissa
Clamante voce emissa.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Arbor decora nobilis
Fructum profert ut utilis,
De quo gaudet Neapolis.

2. Ramus inde protelatur,
In Agauno monachatur.
Flos redolet sociis.

3. Huius floris est Amatus
Granum. Domino donatus,
Monachus, abbas, praelatus
Sedunensis post vocatus.

4. Cuius grani refectio
Fuit doctrinae lectio
Et mira patientia.

5. Aurivillae gaudeat contio,
Huius sancti fruens solatio,
Per quem crevit ibi devotio.

Ad Magnificat.

A. Dum catena ferrea
Cingit lumbos, carnea
Domatur superbia,
Et exemplis suae vitae
Multos docet et perite
Rexit gregem Dominicum
Iuxta verbum propheticum.

Brev. Sedunense imp. s. l. et a. A. — Brev. Sedunense imp. Basileae 1497 B. — In 1. Vesp. R, 8 est B. — Ad Magn. A, 8 clarus A. — In 1. Noct. A 2, 1 Aganensis A, Agunensis B. — In 2. Noct. R 2, 2 maior fit AR. — In 3. Noct. A 1, 3 Lies praesul? — A 3, 4 Lies Fit nostri? — R 2, 4 in matricula AB. — R 3, 9 claret B; dies R fehlt A. — R 4, 3 Laudes tibi AB. — In 2. Vesp. A 4, 3 mera AB. — Die Hymnen vgl. Anal. XIX Nr. 58—60.

13. De sancto Ambrosio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Sol aeternae iustitiae
Ante mundi principium
Sanctae matri ecclesiae
Praevidit utilissimum
Doctorem, fertilissimum
Pontificem Ambrosium.

2. Ambrosi, Christi confessor,
Audi rogantes famulos
Et impetratam caelitus
Tu defer indulgentiam.
O sancte Ambrosi,
Sidus aureum,
Domini gratia
Servorum gemitus suscipe
Solita clementia.

3. Arianae perfidiae
Obnubilatae tenebris
Concessit sublime
Lumen ecclesiae
Ambrosii Deus.

4. Apperuit thesauros
Ambrosius in mundo.
Dignetur pro nobis
Rogare filium Dei.

5. Vox infantis insonuit:
Dignus Ambrosius
Hic erit episcopus.
Ad cuius vocis sonitum
Fremens resultat populus.

Ad Magnificat.

A. Lucerna lucet
in templo Domini
Viam praebendo
oranti populo,

Salus confertur
debili homini,
Dum tam excellens
datur ecclesiae
A superno
doctore pontifex,
Mundum praecellens
subdit inopiae
Carnem magnus
virtutum opifex.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus Domino
Cordis et vocis iubilo,
Qui beatum Ambrosium
Tulit de mundi nubilo.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hunc pretiosum thesaurum
In fornace velut aurum
Probans factor universorum
Ad supernum deduxit chorum.
2. Perfidis Arianorum
Sacra evangeliorum
Dicta dum opposuit,
Mox versutia eorum
Velut gens Genioncorum
Absorpta disparuit.
3. In manu huius corona
Fulsit pulchritudinis,
Vitae dum aeternae dona
Propinabat propriis.

Responsoria.

1. Hic vir magnae
in Christo gratiae
In virtutum
effulgens acie
Eligitur
a cunctis pontifex,
Scripturarum
praeclarus opifex,
V. Cur sol fulsit
in templo Domini.
2. Decoratus
hic pontificio,
Plebis Christi
pastor humilior,
Gravi carnem
tractat supplicio,
Se castigans
doctor nobilior;
V. Hic verus Israelita,
In quo non est dolus.
3. Prudentis huius ex ore
Verba vitae mellis more
Effluebant suavius,
Pontificalis dum curae
Praefectus, sacrae scripturae
Orpheo fudit dulcius
V. Ambrosius, Mediolanus
Electus in pontificem.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vir effectus tunc robustus
Sectas rupit perversorum,
Castus, humilis et iustus,
Fortis tutor depressorum.
2. Desiderabiliora
Super mel et favum verba
Propinat hic sine mora,
Vitia fugat acerba.
3. A te, Christe, eruditus
Beatus Ambrosius
Est virtute insignitus
Pontifex eximius.

Responsoria.

1. Hic angelus testamenti,
Misero fulcimen flenti
Ob culpas perfidiae,
Extolli debet iucundo
Psalmorum cantu in mundo
Renatus flos bonariae.
V. *Diligere tua, Iesu Christe,*
nos docuit Ambrosius verba.
2. Clamor plebis
ascendit altior,

In pastorem
dum hic eligitur,
In virtute
cunctis praestantior
Fuit pastor,
qui sic praeficitur.

V. *Super salutem et omnem pulchritudinem dilexit sapientiam.*

3. Corda nunc plebis Domini
Replentur ubertate,
Dum ex ore Ambrosii
Plena suavitate
Verba Christi profluunt,
Quae fideles reficiunt.

V. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Oleo laetitiae
Et exultationis
Effluxit Ambrosius,
Dum operationis
Sanctae mundo munera
Contulit frequenter
Fide salutifera
Lucendo decenter.

2. Exaltavit Dominus
De plebe tunc electum
Pastorem nihilominus,
Dum praeficit dilectum
Ambrosium ecclesiae
Sanctum Mediolani
Per donum divae gratiae
Cordis in fide sani.

3. Myrrham, guttam et cassiam
Omnem quoque fragrantiam
Excellit vita incliti
Pontificis Ambrosii,
Cuius verbo Lombardia
Referta plena gratia
Christo cognito Domino
Cultu caret nequissimo.

Responsoria.

1. Recta docens indirecta
Planat verbo Domini,
Dum Arianorum secta
Cedit prece populi,
Pastoris huius praeclari
Nunc mores placebant cari
Ecclesiae catholicae.

V. *Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine, secundum verbum tuum.*

2. Fregit hic . . . . . .
Hostium pertinaciam,
Dum divinae clementiae
Cunctis effudit gratiam,
Mediolani gratissimus
Pastor, pius Ambrosius.

V. *Se obtulit vivum sacrificium in odorem suavitatis.*

3. O fons immensae pietatis,
O dos divinae caritatis,
Quam magno fulgens opere,
Dum supernae haereditatis
Serto ornas cum beatis
Sanctum locans Ambrosium,
Doctorem praeclarissimum.

V. Te precamur corde toto,
Choro iunge nos devoto
Beatorum omnium
Per sanctum Ambrosium.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Thesauros absconditos
Ecclesiae aperuit
Ambrosius, dum subditos
De fide Christi docuit.

2. Doctor praeclarissimus
Ut viola redoluit,
Vineam Dei Sabaoth
Virtute dum excoluit.

3. Augustinum pontificem
Ambrosius redarguit
Virtutumque opificem
Fecit, dum undis abluit.

4. Uterque tunc tripudiat:
Cantus proferamus
Christo, qui nos sanctificat,
Nunc te Deum laudamus.

5. Sic vicissim compositum
Hoc resonabat canticum,
Quod nunc mater ecclesia
Frequentat suavissimum.

Ad Benedictus.

A. Deum nunc benedicite
Caelum, terrae et mare,
Hymnumque sibi dicite,
Quod voluit beare
Pastorem electissimum
Carne solutum hodie,
Michael velocissimum.
Caeli quem iunxit gloriae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ecclesiae catholicae
Fautor et apostolicae,
Ambrosi praeclarissime,
Sume preces cum carmine
Nostras, sidus pontificum,
Speculumque magnificum,
Per te directo tramite
Caelorum ut conscendere
Valeamus sedilia
Per saeculorum saecula.

Brev. ms. Pedepontanum anni 1398. Cod. Meliten. Pragen. s. n. — In 1. Vesp. **A** 2, 6 Sidus amen. — **A** 3, 2 tenebras. — In 1. Noct. **A** 2, 1 Perfide. — **A** 2, 5 Lies Gerasenorum? — **R** 1, 9 Cor sol; lies Ceu sol? — **R** 2, 7 Sese. — **R** 3, 2 mellis tunc more. — **R** 3, 6 Orphaa. — In 2. Noct. **A** 2, 3 Propina. — **R** 1, 2 fulciens. — **R** 1, 6 flos bonis ardiae. — **R** 2, 7 Sic pastor qui sic. — In 3. Noct. **A** 1, 8 lucende. — **A** 2, 7 donum divinae. — **R** 1, 2 Planant. — **R** 1, 6 placebat; lies: Tunc mores? — In Laud. **A** 2, 3 Unicam Dei. — **A** 4, 2 Arcus perferamus. — Hymnen: In 1. Vesp.: Miraculum laudabile (Mone III, 183); ad Noct.: Vatem pium Liguriae (Anal. XXIII, 112); in Laud.: Quod speculum laudabile (Anal. IV, 74).

14. De sancto Ambrosio.

In 1. Vesperis.

R. Illustrat mundi climata
Librorum epigrammata
Ambrosius per diversa,
Dogma dando plebi sanum
Omne resecat profanum
Recolligens diversa,

V. Conscripta sequens
mente, non corpore tepens
Et facultatem
cleri vertit in utilitatem.

Ad Magnificat.

A. Veneremur laetabundi
Doctorem Ambrosium,
Qui scripturas per profundi
Cordis illustrat studium,
Veteris qui testamenti
Simul novi rudimenti
Glossator est praecipuus,
Caeli scrutator arduus,
Lucens polo quasi stella
Radio lucifluus;
Per huius festa nobis praesta
Cum coetu credentium,
Iesu, vere te videre
In terra viventium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Sono vocis corde vatis
Hymnis laudemus Dominum,
Qui electum caelo vectum
Glorificat Ambrosium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mirabilis Ambrosium
Deus mirificavit,
Cuius dulce eloquium
Per apes figuravit.
2. Cum sorori dexteram ludens
Porrigeret ad osculum,
Praefiguravit adulescens
Futurum se episcopum.
3. Conspicuus discipulus
causarum liberalibus
Factus orator insignis
est coram tribunalibus.

Responsoria.

1. Nobili ortus genere
Ex praefectorum sanguine
Ambrosius consulatum
Obtinuit, ut regeret
Provincias et subigeret
Praetoris agens statum,
V. Iudicio causas
rerum pensaret et aequo.
2. Nuperrime defuncto
Arriano episcopo
Antistes Mediolani
A cuncta plebe creatur,
Sed renitens exaltatur
Rebellione inani;
V. Ecce, neophytus
praesul sublimatur invitus.
3. Nactus antistitium
Resecat omne vitium
In populo dilatatum,
Ambrosius verbo rexit,
Qui et exemplo allexit
Populum sceleratum,
V. Ostendit infectam
fidem Christi praeter rectam.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum ad Romam remeavit
Ambrosius trans Tiberim,
Veste sua tunc curavit
Aegram passam paralysim.
2. Luxit cohors Arriana
Puellae mortem peste
Subita, quae hunc vesana
Manu traxit sanctum veste.
3. Christus reginae furorem
Iustinae compescuit,
Dum praesul invasorem
Ad exsulandum censuit.

Responsoria.

1. Illustrando disputatur,
Arrianus impugnatur,
Resistit Ambrosio,
Sed cum angelum adstantem
Cernit ei susurrantem,
Evanuit rebellio;
V. Beatam fidem
Christi post coluit idem.
2. Reginae malus satelles,
Actus exercens imbelles
Ense, manu obriguit;
Missus daemon, sed inane,
Praesuli nec appropinquare
Audet, nam ignem timuit.
V. Ubi Iesus pastorem
defendit et eius honorem.
3. Venerandus pater sanctus
Sic vigiliarum planctus
Instituit observari
In ecclesiaque hymnos
Pius suo Deo dignos
Praecepit decantari;
V. Eructat hymnista
laudes Domini cum psal-
mista.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Imperator Theodosius
Multotiens excessit,
Ob hoc cum Ambrosius
Ab ecclesia repressit.

2. Christi adeunt doctorem
Persarum sapientes,
Qui solvendo quaestionem
Lustrabat eorum mentes.

3. Sacra colens Victoriae
Imperatorisque natus
Pro cultu idolatriae
A praesule est condemnatus.

Responsoria.

1. Nuncupatur Florentia
Urbs florens in Tuscia,
Ubi sanavit obsessum,
Qui post cum vitam exhalaret,
Praesul orat, ut suscitaret
Infantem matris decessum;
V. Ecce, Elisaei
signum conceditur ei.

2. Catechismi epistolam
Ad Fidegilem reginam
Misit praesul in patulo,
Mulieri fidem suadet,
Ut et cum rege pacem daret
Romanorum populo;
V. Romae pax civibus
fit multis cum Marcomannis.

3. Orationum egregius
Salvatur Theodosius
Ambrosii precatibus,
Nece sternitur Eugenius,
Ecclesia liberius
Gaudet immunitatibus,
V. Episcopi prece
noxii liberantur a nece.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ieiunans orat
praesul, pro crimine plorat,
Vigilias celebrat,
sic nocte dieque laborat.

2. Ecclesiae bona
pauperum convertit in dona
Et miles nudi
sequitur vestigia Christi.

3. Mortem praedixit
paschae, quo tempore vixit,
Et de morte viri
doluit praesul maxime sancti.

4. Dictando psalmum
quadragesimum tertium almum
Rapuit, operuit
ingens et hymnos intravit.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Ambrosius
In extremo mortis positus
Praedixit successorem,
Non erubescens vivere
Nec piguit descendere
Ob fidei amorem,
Sed laeto vultu,
Humili cultu
Suscepit hic viaticum
Et cathedratus
Pueris est ratus
Aut ut sidus eptaticum.
Nam post mortem electorum
Factus civis et angelorum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Post transitum victoris
Vigent in diversis horis
Virtutum miracula,
In Florentia orare
Visus est iuxta altare
Obsessorum piacula,
Remanet in patulo,
Terra percussa baculo
Signat locum victoriae,
Urnam parat detrahenti,
Hic nos de statu flenti
Ducat ad regem gloriae.

Offic. ms. Augustana saec. 15. Cod. Sangallen. 386. — In 1. Vesp. R, 6 Recalligens. — Ad Matut. Invit 4. Glorificavit. — In 1. Noct. R 1, 5 sed subigeret. — R 2, 5 niteus. — In 2. Noct. A 2, 2 morte pestem. — R 1, 2 Arriantis impugnator. — R 1, 3 Resistat. — R 3, 5 sua. — R 3, 6 decantandi. — In 3. Noct. A 2, 3 solventes. — A 3, 4 Lies: damnatus? — R 3, 4 Neci. — In Laud. A 4, 3 Lies: Rapitur, operitur? — A 4, 4 et inos intravit. — A 5 fehlt. — Ad Bened. A, 12 Lies: extaticum oder heptaticum? — Ibid. 14. Fecit et angelorum. — Zum Officium gehört der Hymnus Agnoscat omne saeculum (Anal. XXIII, 113).

15. De sancto Ambrosio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Vernante veris tempore
Adest festum ecclesiae,
In morte qua Ambrosius
Triumphat vigorosius.

2. Ambrosius est vocatus,
Quia bonus odor Christi
Fuit et in caelis sisti
Meruit beatus.

3. Doctrinae suaviloquium,
Eius magnum ingenium
Examen apum designavit,
Dum in altum evolavit.

4. Ex quattuor praecipuis
Doctoribus ecclesiae
Hic prior fulsit tempore
Dogmatibus proficuis.

5. Romae studens strenue
Scripturas ruminavit,
Oppressorum splendide
Causas praeornavit.

Ad Magnificat.

A. Magnificat Dominum
Esuriens iustitiam
Ambrosius, dum hominum
Erudit imperitiam,
Esurientes replet bonis
Scriptis, dictis, moribus.
Cum paradisi floribus
Caeli potitur donis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Collaudemus Christum regem
Cordis cum tripudio,
Qui declarat vitae legem
Doctorum vero studio.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ambrosius hic iugiter
Legem Dei meditatur.
Veritatem contemplatur
In caelo copiosius.

2. In timore filiali
Domino servivit
Et inventa doli mali
Daemonis contrivit.

3. Devotione praeditus
Salutem, quam optavit,
Orationi deditus
Ipsam impetravit.

Responsoria.

1. Summo sacerdotio
Se dignum destinatum
Ambrosius praevidit,
Cum osculi officio
Puerulus aetate
Sorori manum porrigit;

V. *Beatus, quem elegisti et assumpsisti, inhabitabit in atriis tuis, Domine.*

2. Imperator hunc transmisit
Liguriae Aemiliae,

Ut defensor sit, commisit
Curam rei publicae:
Vade, inquit, non ut iudex,
Sed age ut pontifex.

V. *Apud Dominum gressus hominum dirigentur, et viam eius volet.*

3. Mediolanum cum venisset,
Et praesul ibi decessisset,
Convenit coetus populi
Quaeriturus, quis recturus
Esset gregem Domini;
Ubi infans Ambrosium
Praedicavit episcopum;

V. Ex ore infantium
Perfecisti laudem,
Dum sanctum Ambrosium
Fecisti praesulem.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dominus mirificavit
Sanctum suum Ambrosium,
Quem invictum pugilem
Ecclesiae deputavit.

2. Exsultent sanctae animae
In te sperantes, Domine,
Quia iusto benedicis
Et diligentes diligis.

3. Gloria et honore
In caelis coronasti
Et in terra sublimasti
Ambrosium decore.

Responsoria.

1. Arrianis dum profanis
Pugil fortis resistit,
Impudica, inimica
Virgo inquit
Violentas et cruentas
Manus, quam mors destruit.

V. *Nolite tangere christos meos et in prophetis meis nolite malignari.*

2. Cum Iustina Arrianos
Contra Dei famulum
Plerosque concitasset,
Et quidem vehiculum,
Ut per hoc in exsilium
Deportaretur, parasset,
Nutu Dei periculum
Paratum contra proximum
In se recepit noxium.

V. *Lacum aperuit et effodit eum et incidit in foveam, quam fecit.*

3. Quidam haereticus
Disputator acerrimus
Ambrosio praedicante
Vidit angelum adstare
Et auri eius verba,
Quae praedicabat, suggerere.

V. *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic fecit iustitiam,
Odivit malitiam,
Ingressus sine macula
Est Dei tabernacula.

2. In terris est redimitus
Multigena virtute
Et in caelo insignitus
Pretioso lapide.

3. Mundus corde, verax ore
Cum turba innocentium
Delectatur caeli rore
In terra viventium.

Responsoria.

1. Ingrediente Mediolanum
Misit arreptitium
Daemon, sed evasit,
Ambrosii faciei,
Ut castrorum aciei,
Sic cedunt daemonia.

V. *Egrediebatur diabolus ante pedes eius, stetit et mensus est terram.*

2. Auditis confitentium peccatis
Plorabat amarissime
Et ad luctum provocabat
Paenitentes saepissime,
Sic caritate stimulans
Flebat cum flentibus.

V. *Propitius esto peccatis nostris, Domine, propter nomen sanctum tuum.*

3. Cum malorum omnium
Radicem, avaritiam,
Videret invalescere,
Medullitus ingemuit,
Deprecabatur Dominum,
Ut ab aerumnis saeculi
Liberari mereatur,
Et gaudens hoc obtinuit.
Futurum narrat fratribus,
Quod in pascha Domini
Dormiret cum patribus.

V. *Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in saecula saeculorum laudabunt te.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Beatus Ambrosius
Cantus et officium
In Dei servitium
Statuit ornatius.

2. Deo servit rite
Cordis cum munditia,
Carnis calcans vitia
Portas intrat vitae.

3. Nil veretur durum,
Repugnans Caesaribus
Pro divinis laribus
Posuit se murum.

4. In conspectu hominum
Vitam non erubuit
Nec mori pertimuit
Confidens in Dominum.

5. Spiritum armavit
Vigiliis et ieiuniis
Et devotis lacrimis
Hostes propulsavit.

Ad Benedictus.

A. Benedictus es, Domine,
Qui filiis ecclesiae
Pium patrem et patronum
Sanctum das Ambrosium,
Ut doctrinis luceat
Et exemplo fulgeat.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Spiritus fidelium
Exsultet in Domino
Propter magnum bravium
Collatum Ambrosio;
In modico fidelis,
Multa bona percipit
Constitutus in caelis,
Ubi Christum conspicit,
A quo nobis veniam
Impetret et gratiam.

Brev. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Donesching. 315. — In 1. Vesp. **A** 3, 1 Doctrinae suae inloquium. — **A** 4, 3 Hoc prior. — In 1. Noct. **R** 2, 4 fehlen zwei Silben; curam ergänzt. — In 2. Noct. **A** 1, 1 Dominus sanctum suum. — **A** 1, 2 Mirificavit Ambrosium. — **A** 1, 3 Qui invictum. — **A** 2, 4 fehlen drei Silben; diligis ergänzt. — **R** 1, 4 fehlen drei Silben? — **R** 1, 6 per quam. — **R** 3, 6 suggere. — In 3. Noct. **R** 1, 3 Daemon sed ingrediente daemo invasit. — **R** 1, 4 Ambrosio. — **R** 3, 3 Videret et invalesceret. — In Laud. **A** 2, 4 Et portas.

16. De sancto Ambrosio.

In 1. Nocturno.

Responsoria.

2. Elegit Ambrosium
Tunc ad pontificium
Parvi vox infantis,
Voces plebis consonant,
Praesulem hunc nominant
Prius discordantis;
V. Stupidus Ambrosius
Turbae fugit anxius
Voces acclamantis.
3. Imperatrix pessima,
perfida Justina,
Arrianae haeresis
fautrix et sentina,
Praesuli Ambrosio
odium portabat
Mortem et exsilium
illi propinabat.
V. Sed de eius furia
modicum curabat,
Qui ut turris valida
constans firmus erat.

In 2. Nocturno.

Responsorium.

3. Iste [praesul] nobilis,
Largus, pius, humilis,
Doctor, pastor dignus,
Constans, fortis, providus
Fuit et benignus,
V. Fervens, orans, sedulus,
Abstinens et pavidus,
Timet hunc malignus.

In 3. Nocturno.

Responsorium.

1. Beatus vir occubuit,
Caeleste regnum adiit
In tempore paschali,
Quem baptizati parvuli
Cernunt per vim miraculi
In sede tribunali.
V. Viderunt stellam alteri
Super adstantem corpori
Fulgore perlustrari.

In Laudibus.

Antiphonae.

1 Ambrosius tempore
Quadragesimali
Languens migrat vespere
Sabbato paschali.

2. Psalmum cum notario
Decubans dictabat,
Quando vultu igneo
Totus rutilabat.

3. Scutum ignis primitus
Caput eius texit,
Cuius os divinitus
Intrans se ingessit.

4. Valuit nil amplius
Sanctus vir dictare,
Gravibus languoribus
Coepit laborare.

5. Praesul constituitur
Clam Simplicianus,
Sanctus absens loquitur:
Bonus est, sed canus.

Ad Benedictus.

A. Ambrosi, lumen fulgidum.
Arrianorum horridum
Errorem qui fugasti,
Expelle mentis tenebras
Et corporis illecebras,
Ut simus semper casti.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sancte Ambrosi.
bone pastor ovium,
Dux, spes et honor
tuorum concivium,
Lucerna vitae
cunctis lumen praevium,
Viam mereri
fac ad caeli bravium.

Brev. Romanum imp. Venetiis 1522. — Die hier fehlenden Teile prosaisch. — In 3. Noct. R 1, 2 Caelesteque. — In Laud. A 1, 1 in tempore. — A 5, 2 Felicianus. — Ad Bened. 5 fehlt eine Silbe; et ergänzt. — In 2. Vesp. ad Magn. 8 fac nos ad caeleste bravium.

17. De sanctis Angelis.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. In conspectu angelorum
Psallam tibi, Deus meus,
Et in pravitate morum
Confitebor tibi reus.

Ad Magnificat.

A. Angelica societas
Nobiscum verset vespere,
Caecata stet impietas,
Ne possit nos opprimere.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Trinum Deum et unicum
Vobiscum veneramur,
Dulce decus angelicum,
Ut ipso confruamur.

In Nocturno.

Super Psalmos.

A. Quos in terra minorasti
Paulo minus ab angelis,
Hos in caelo sublimasti
Coaequatos archangelis.

Responsoria.

1. Hic est princeps angelorum,
Michael, victoria
Cuius magna populorum
Praestat beneficia
Et ad regna beatorum
Provehunt suffragia.

V. Te laudamus, fac, precamur,
Recto virtutum tramite.

2. Angelus ad virginem
Gabriel Mariam
Missus fert originem
Salvatoris piam:
Ave, plena gratia,
Dominus est tecum,
Mater es et filia,
Ergo plus quam mecum.

V. Dabit ei Dominus
Sedem patris eius
David, neque terminus
Erit regni eius.

3. Raphael, fer gaudium,
Duc nos, hostes elimina
Et felle paenitentium
Mente caecos illumina,
Semper adsint caelestium
Virtutum nobis agmina.

V. Sancte sanctorum omnium,
Te laudet omnis spiritus
Tibi damus imperium,
Te nobis da medullitus.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Te cum angelis laudare,
Fac nos in caelis, Domine,
Et hic digne ministrare
Tibi de tuo lumine.

Ad Benedictus.

A. Angeli, archangeli,
Principatus, potestates,
Virtutes, dominationes,
Throni sancti et Cherubim
Et ardentes Seraphim,
A peccatis nos mundate
Vestro ministerio,
Cuius ope colligate
Nos vestro consortio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Omnes Deum adorate,
Vos virtutes angelicae,
Quo audito stent laetatae
Nostrae mentes magnifice.

Orat. ms. Gallicum saec. 15. Cod. Musaei Ferdinandei Oenipont. s. n. — In 1. Vesp. ad Magn. 2. Nobiscum cernet. — In Noct. R 2, 1 Angelus Gabriel ad. — R 2, 6 Dominus tecum. — R 3, 4 Mentem caelos.

18. De sancta Anna.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Anna sancta, de qua nata
fuit mater Domini,
Infecunda fuit, nupta
iusto viro Ioachim.
2. Apud Deum hominesque
horum vita claruit,
Quae nequaquam iuste unquam
reprehendi potuit.
3. Substantia nempe sua
divisa trifarie
Partem unam impendebant
templo vel ecclesiae,
4. Peregrinis et egenis
erogabant aliam,
Clientelae quoque suae
sive sibi tertiam.
5. Sic per annos bis decenos
caelibe coniugium
Peragentes actitabant
Domini servitium.

R. Inclita stirps Iesse
virgam produxit amoenam,
De qua processit
flos miro plenus odore,
V. Est haec virga Dei
mater, flos ortus ab illa.

Ad Magnificat.

A. Caeleste beneficium
introivit in Annam,
De qua nata est nobis
pia virgo Maria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In honore
beatissimae Annae
Iubilemus
et cantemus Domino.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ea quidem tempestate
Praesul erat Isachar,
Qui Ioachim infecundi
refutabat munera.
2. Exprobrabat et dicebat
hunc valde praesumere,
Qui fecundis infecundus
se captabat sistere.
3. Infecundos cum fecundis
mos non erat sistere,
Nisi prius Deus daret
masculinum gignere.

Responsoria.

1. Nazarenus pater huius,
vitae vir egregiae,
Mater autem de Bethlehem
regali fulsit semine,
V. Dignum enim erat talem
hoc oriri ordine.
2. Quadam die soli stanti
angelus apparuit,
Dicens illi: flere noli,
te Deus exaudivit,
V. Sic dolorem eius gravem
confortans compescuit.
3. Si ratio verbis meis
non dat tibi credere,
Rogo, crede vel exemplis
congruis memoriae,
V. Et memorata Maria
erit tua filia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hoc Ioachim conturbatur
confusus opprobrio,
Quem pontifex templi prorsus
notavit elogio.

2. Contribules et concives,
qui tunc illi aderant.
Nequivere contraire
legi, quam didicerant.

3. Ex hoc autem opprobrio
Ioachim pulsus nimio
Una cum suis bestiis
Mox secessit in pascuis.

Responsoria.

1. Firma fide fidens crede
nec sis ultra dubius,
Cum praesertim Annae anus
iam tumescat uterus,
V. Quia Deus vestros pius
exaudivit gemitus.

2. Vobis quoque nascituram
nunc praesago filiam
Dei matrem fore gratam,
specie pulcherrimam,
V. Vocabitis hanc Mariam,
gratia mirificam.

3. Promiserunt et voverunt,
si det eis Deus prolem,
Servitio eius sancto
sine fine permansuram,
V. Et mancipaturos illam
sollicite conservandam.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec ad casam exhinc suam
repedare noluit,
Nam dedecus magis et plus
augmentari timuit.

2. Quadam die soli stanti
angelus apparuit
Dicens ei: flere noli,
te Deus exaudivit.

3. Preces tuae sunt acceptae
in conspectu Domini,
Non dolebis, sed gaudebis
immunis opprobrii.

Responsoria.

1. Exprobrabat et dicebat
hunc valde praesumere,
Qui fecundis infecundum
se captabat iungere
V. Et sacratum legis ritum
contendebat solvere.

2. Preces tuae sunt acceptae
in conspectu Domini,
Non dolebis, sed gaudebis
immunis opprobrii;
V. Uxor tua Deo grata
concipiet et pariet.

3. Prima vestrae gentis mater,
Sara dicta nomine,
Ad octogesimum annum
vixit sine sobole,
V. Et Isaac tamen illam
fecundavit semine.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Cum ad portam perveneris,
quam dicimus auream.
Sponsam tuam mox habebis
ingressuram obviam.

2. Non naturae, sed peccati
ultor exstat Dominus,
Sic uterum cum interdum
obstruit alicuius,
Ad hoc facit, ut denuo
reparetur melius.

3. Anna Ioachim viro iuncta.
Matris Dei mater facta,
Cara Deo est et grata.

4. Virgo semper haec Maria,
stirpe nata regia,
David regis venerandi
processit prosapia.

5. A Nazareth oriunda
versatur Ierosolyma
Et in templo illic sancto
nutritur iuvencula.

Ad Benedictus.

A. De mutua visione
Et promissa simul prole
Domum suam sunt regressi
Facti laeti et iucundi.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Felix Anna
quaedam matrona
Legitima
beato Ioachim
Promeruit generare
Felicem filiam
Nomine Mariam.

Brev. ms. Diessense saec. 15. Clm. Monacen. 5546. A. — Brev. ms. Iotrense saec. 13. Cod. Parisin. 750. B. — Brev. ms. Blesense? saec. 13. Cod. Rossian. s. n. C. — Brev. ms. Albense saec. 15. Cod. Lambacen. LXXXIX. D. — Brev. ms. S. Georgii Pragen. saec. 15. Cod. Pragen. XIII C 1. E. — Brev. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Palat. Vindobonen. 1481. F. — Brev. ms. Claustroneoburgense 972. saec. 15. G. — Brev. ms. Lubicense saec. 15. Cod. Lubicen. s. n. H. — Brev. Parisiense saec. 15. Cod. Parisin. 476. I. — Brev. ms. Turonense saec. 15. Cod. Parisin. 1032. K. — Brev. Toletanum imp. Venetiis 1492 L. — Brev. Lausannense imp. Gebennis 1509 M. — Brev. Montis Virginis imp. Venetiis 1555 N.

Das Officium findet sich des weitern aufser zahllosen andern in folgenden Quellen: Brev. ms. Cluniacense saec. 15. Cod. Sangenovefen. BBl 8° 15. — Brev. ms. Augustanum anni 1397. Cod. Chigian. DV 65. — Brev. ms. Waradinense anni 1460. Cod. Vatican. 8247. — Brev. ms. Lemovicense saec. 15. Cod. Pianoren. M 21. — Brev. ms. Laudunense saec. 15. Cod. Pianoren. M 91. — Brev. ms. Claraevallense saec. 14. Cod. Trecen. 1160. add. saec. 15. — Brev. ms. Nemacense saec. 15. Cod. Roman. 1189 (Sessor. 138). — Brev. ms. Praedicat. Meten. saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2865. — Brev. ms. Lingonense saec. 15. Cod. Parmen. HH IV 15. — Brev. ms. Lugdunense saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 107. — Brev. ms. Parisiense saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 208. — Brev. ms. S. Sepulchri saec. 14. Cod. Parmen. Palat. 186. — Brev. ms. Romanum saec. 14. Cod. Taurinen. K VI 38. — Brev. ms. Constantiense anni 1470. Cod. Eremiten. 82. — Brev. ms. Monasticum saec. 15. Cod. Eremiten. 84. — Brev. ms. Wettingense saec. 13. Cod. Araugien. W. 79 add. saec. 14. — Brev. ms. Interlacense saec. 15. Cod. Bernen. B 524. — Brev. ms. Illerdense saec. 14. Cod. Capit. Illerden. 12. — Brev. ms. Illerdense anni 1451. Cod. Capit. Illerden. s. n. — Brev. ms. Gerundense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Capit. Gerunden. 3. — Brev. ms. Dertusense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Capit. Dertusen. s. n. — Brev. ms. Dertusense saec. 15. Cod. Capit. Dertusen. s. n. — Brev. ms. Tirasonense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Capit. Tirasonen. s. n. — Brev. ms. Vicense saec. 14. Cod. Capit. Vicen. CVI. — Brev. ms. Toletanum saec. 14. Cod. Matriten. Ef. 147. — Brev. ms. Veteris Capellae Ratisbonen. 1908. saec. 15. — Brev. ms. Veteris Capellae Ratisbonen. 1988. saec. 15. — Brev. ms. Redonense saec. 15. Cod. Vatican. Ottobon. 543. —

Brev. Sedunense imp. Basilae 1497. — Brev. Urgellense imp. Venetiis 1487. — Brev. Cordubense imp. Cordubae 1557. — Brev. Cordubense imp. Hispali 1524. — Brev. Dertusense imp. Lugduni 1547. — Brev. Oscense et Iaccense imp. Caesaraugustae 1505. — Brev. Burgense imp. [s. l. et a. — Brev. Tarraconense imp. Barcinonae 1484. — Brev. Abulense imp. Salmanticae 1501. — Brev. Celsonense imp. Caesaraugustae 1514. — Brev. Ord. S. Mariae de Mercede imp. Barcinonae 1560. — Brev. Tirasonense imp. Venetiis 1497. — Brev. Sigenense imp. Caesaraugustae 1547 — Brev. Granatense imp. Granatae. 1506. — Brev. Ratisbonense imp. Augustae 1488. — Brev. Ord. S. Johannis Hierosol. imp Lugduni 1517. — Brev. Braccarense imp. Salmanticae 1511. — Brev. Virdunense imp. Parisiis 1525. — Brev. Plocense imp. 15**. — Brev. Gienense imp. 15**. — Brev. Matisconense imp. Lugduni 1521. — Brev. Rutenense imp. Lugduni 1543. — Brev. Massiliense imp. Lugduni 1530. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1512.

Dies Officium gehört zu den verbreitetsten und weist daher eine geradezu unabsehbare Menge von Varianten auf, die einzeln anzuführen unmöglich ist. Das Officium scheint ursprünglich in trochäischen Tetrametern mit

Endassonanz geschrieben zu sein; ein fortschreitender Faden der Erzählung verband Antiphonen und Responsorien. Diese an der Hand des Fadens zu ordnen, war mir unmöglich; es blieb daher in dem Wirrwarr nichts übrig, als eine der Quellen zu Grunde zu legen; hiezu habe ich A gewählt, nicht B oder C, welche zwar die ältesten der benutzten Quellen sind, aber monastische Ordnung des Officiums haben, ohne dafs sich diese als die ursprüngliche erkennen liefse. Es ist deshalb der grofsen Mehrzahl der Quellen durch Beibehaltung der kurzen Form Rechnung getragen; die Anordnung von B und C wird hier angefügt werden.

In 1. Vesp. Die Mehrzahl der Quellen beginnt in 1. Vesp. entweder mit dem **R** Inclita stirps Iesse (BCN) oder mit der **A** Caeleste beneficium, u. zw. steht diese bald als einzige **A** super Psalmos (z. B. DF), bald als **A** ad Magnificat (z. B. E). Die obigen fünf **AA** haben übereinstimmend AG; dieselben **AA** haben IK, nur tritt an Stelle der ersten Inclita stirps Iesse etc. Fünf **AA** hat auch H in folgender Ordnung: 1. Caeleste beneficium etc.; 2. Haec Ioachim viro iuncta (cfr. in Laud. **A** 3); 3. Apud Deum et homines etc.; 4. Substantia namque sua etc.; 5. Peregrinis et egenis. — Ad. Magn. **A** in D:

Ave, gemma claritatis ad instar carbunculi,
Ave, rosa paradisi, more fragrans balsami,
Anna, mater matris Christi, gloriosa meritis,
Assistentes tuis laudibus [sic] caeli iunge gaudiis.

Eine andere Antiphon setzt H:

Anna felix et inclita,
Regali stirpe genita,
Iam vitae tenens bravium
Et meritis insignis,
Tuam laeti memoriam
Ob prolis reverentiam
Recolimus, quam omnium
In gaudium progignis.
Haec te petente miseris,
Quia non solum superis,
Sed ipsi Deo imperat,
Nobis auxilietur,
Ut nec mundi prosperitas
Nobis atque adversitas
Confusionem ingerat,
Nec hostis dominetur.

Eine weitere: Matrem fecundae virginis, matris Dei et hominis etc. bietet M; eine andere N:

Orta ex stirpe regia
Matrisque Dei baiula,
Audi nostra precamina,
Ut tuis [sanctis] precibus
Iungamur caeli civibus.

Wieder anders L:

O prima porta veniae, Anna mater Mariae,
O quam digna [tu] fuisti Partu sancto matris Christi,
Tuum esse quam necesse Lapsus pomo sentit homo!
Ergo, sancta mater Anna, Cui cantabimus Hosanna,
Tu cum nata tam beata Omni hora Deum ora,
Ut omnis cesset tempestas, Quam gignit bruma vel aestas,
Et qui colunt festum tui, Dono Dei possint frui.

Sehr verschieden ist auch die Fassung des Invitatoriums. Die des Textes giebt B; sonst lautet dasselbe: In honore beatissimae (beatae C) Annae, matris Mariae, iubilemus Domino (AFG) oder: In honore beatae Annae, piae

matris Mariae, iubilemus et cantemus Domino (CI). Ein anderes Invitatorium haben u. a. MN:

Surgite, cantate, famuli Christi, iubilate,
Laudibus egregiae matris iubilate Mariae.

In 1. Noct. Ordnung der **AA** in B: 1. Apud Deum et homines; 2. Substantia nempe sua; 3. Peregrinis et egenis; 4. Sic per annos bis decenos; 5. Ea quidem tempestate; 6. Exprobrabat et dicebat. Ordnung in C: 1. Inclita stirps Iesse; 2. Apud Deum et homines; 3. Substantia nempe sua; 4. Peregrinis et egenis; 5. Sic per annos bis decenos; 6. Ea quidem tempestate. Ordnung in D: 1. Apud Deum et homines; 2. Substantia nempe sua; 3. Peregrinis et egenis. — Ordnung der **RR** in BC: 1. Nazarenus pater huius; 2. Quadam die soli stanti; 3. Firma fide fidens crede; 4. Si ratio verbis meis; statt dieser eine prosaische C. Ordnung in D: 1. Nazarenus pater huius; 2. Quadam die soli Annae (sic); 3. Firma fide fidens crede. — Ordnung in H:

R. 1. Annae festa colentibus,
Tuae, Christe rex, aviae,
Da nobis peccatoribus
Spiritum sapientiae,
V. Quo replente cordis femur
Pia laude delectemur.

2. Nazarenus pater huius; 3. Promiserunt et voverunt. — **R** 1, 2 egregius D. — In 2. Noct. Ordnung der **AA** in B: 1. Non naturae sed peccati; 2. Cum ad portam perveneris; 3. Infecundos cum fecundis; 4. Hoc Ioachim conturbatur; 5. Contribules et concives; 6. Quadam die soli stanti. Ordnung in C: 1. Exprobrabat et dicebat; 2. Non naturae sed peccati; 3. Cum ad portam perveneris; 4. Infecundos cum fecundis; 5. Hoc Ioachim conturbatur; 6. Contribules et concives. Ordnung in D: 1. Ea quidem tempestate; 2. Exprobrabat et dicebat; 3. Non naturae sed peccati; F stellt die beiden letzteren um; Ordnung in H: 1. Hinc (!) Ioachim conturbatur; 2. Hinc (!) ad aulam exhinc suam; 3. Ex hoc autem opprobrio. — Ordnung der **RR** in B: 1. Vobis quoque nasciturum; 2. Exprobrabat et dicebat;

3. Erant autem circa templum iuxta psalmos graduum
Gradus quidam altiores dantes iter arduum;
Hos Maria scandit sola, non quaerens suffragium,
V. Quae et quanta sit futura, bonum dans indicium.

4. Promiserunt et voverunt. Ordnung in C: 1. Si ratio verbis meis; 2. Vobis quoque nasciturum; 3. Exprobrabat et dicebat; 4. prosaisch. Ordnung in D: 1. Vobis namque nasciturum; 2. Exprobrabat et dicebat; 3. Erant autem circa templum. — Ordnung in H: 1. Quadam die soli stanti;

2. Prima [sic] fide fidens crede nec sis ultra dubius,
Cum praesertim Annae anus iam tumescat uterus,
Quia Deus vestros pius exaudivit gemitus.
V. Si ratio verbis meis non dat tibi credere,
[Rogo] crede vel exemplis congruis memoriae.

R 3 fehlt mit der ganzen 3. Nocturn H. — **R** 3 lautet in G:

Anna et Esmaria Sunt sorores, ex una
Elisabeth, ex altera Prodiit Maria.

In 3. Noct. Ad Cantica **A**: De mutua visione etc. B, Preces tuae sunt acceptae C. — Ordnung der **AA** in D: 1. Infecundos cum fecundis; 2. Hoc Ioachim conturbatur; 3. Contribules et concives. — **A** 1, 3 sq. Quem pontifex templi prorsus obvectavit elogio D; Quem pontifex prorsus ob hoc notavit elegio E; Quem pontifex prorsus obvocavit eulogio. — Ordnung der **RR** in B: 1. Inclita stirps Iesse;

2. Forinsecus non manebit,
Sed in templo semper erit,
Ne de illa quidquam mali
Vel sinistrum possit dici,
V. De qua Iesus debet nasci,
Universi salus mundi.

3. Preces tuae sunt acceptae; 4. Prima nostrae (!) gentis mater. Ordnung in C: 1. Erant autem circa templum; 2. Promiserunt et voverunt; 3. Prima vestrae gentis mater; 4. prosaisch. Ordnung in D: 1. Inclita stirps Iesse; 2. Forinsecus non manebit, wobei indes die vorstehenden sechs Zeilen zum R gehören, während als V. hinzugefügt sind:

V. Haec est virga Dei mater,
Quae divinum gignit florem
Et fert fructum contra morem.

3. Preces tuae sunt acceptae. Ordnung in G: 1. Promiserunt et voverunt; 2. Prima tuae (!) gentis mater; 3. Ex tribus viris tres filias Anna beata genuit: Prima profert salutem mundi, parit tetrarchos altera, fert tertia duo orbi candelabra. V. Funiculus triplex ex more rumpitur difficile, et in templo splendent luminaria. — In Laudibus. Ordnung der AA in BCDIK: 1. Virgo semper haec Maria; 2. A Nazareth oriunda; 3. Haec Ioachim viro iuncta; dies ist der richtige Anfang der A, A mufste aber Anna statt haec setzen, weil nach seiner Anordnung im vorhergehenden nicht von Anna die Rede ist. 4. Haec ad casam (causam B, gazam D) exhinc suam remeare (repedare E) noluit; 5. Ex hoc autem opprobrio. Ordnung in H: 1. Inclita stirps Iesse; 2. Virgo semper haec Maria; 3. Nazarenus (!) oriunda:

4. Sine intermissione benedixit Dominum,
Huic nec turbae nec matronae aequipollent virginum.

5. In Dei quoque laudibus
Perfectior haec omnibus,
Ut cuncti mirarentur;
Anna laetare sterilis,
Nunc tanta prole fertilis,
Quam omnes venerentur.

Auch ad Benedictus hat H eine eigene A:

O caelorum artificis,
Quem nube carnis . . . ,
Maria, mater Christi,
Matrem tuam cum canticis
Recolentes organicis,
In orbem qua prodisti,
Ab hostis fraude provicis (!),
Non tenere quos conspicis
Potari mundo tristi.

In 2. Vesp. ad Magn. A lautet in H:

Laetare, mater nobilis,
Prolis magnis et inclitis (!)
. . . . . .
Quam felix peperisti,
Cuius inaestimabilis
Amoris delicatio (!)
Compellit et devotio
Tuis festis insisti.

Nos digne tantae virgini,
Tuae dilectae filiae,
Fac iugis reverentiae
Honorem exhibere.
Dei mater internini
Quae facta est divinitus,
Advenientes gemitus
Mundi prorsus delere.

Zu diesem Officium finden sich in der Regel die Hymnen: Clara diei gaudia (Mone III, 190), Lucis huius festa (Mone III, 189), Orbis exsultans celebret hoc festum (Mone III, 192), aber mit sehr verschiedener Verteilung auf die Horen. Eigene Hymnen hat u. a. B, vgl. Anal. XII, No. 135—137; ebenso das Brevier von Macon (Lyon 1521), vgl. Anal. XIX, No. 77—79, das von Marseille (Lyon 1530), vgl. Anal. XIX, No. 81 u. f.

19. De sancta Anna.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaudete, Sion filiae,
Laudantes regem gloriae,
Matris Annae sollemnia
Nos invitant ad gaudia.

2. Annam vita
vitans piacula,
Larga manus,
mens carens macula
Dignam reddunt
laude per saecula.

3. Annae tres sunt filiae
Caelitus collatae,
Cuius sunt trifarie
Opes erogatae.

4. Templo servientibus
De rebus donavit,
Partem dans pauperibus,
Parte domum pavit.

5. Anna mater cum filia,
Matre Dei Maria,
Regnat metens in patria,
Quod sevit hic in via.

Ad Magnificat.

A. O rosa vernalis,
virtutum consita malis,
Virginis eximiae
radix sincera Mariae,
Plaudis in aethereis,
o felix Anna, choreis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Diem festum sanctae Annae
celebrans in gloria
Militans cum triumphante
iubilet ecclesia.

In 1. Nocturno.

Responsoria.

1. Anna florens
clara prosapia,
Iuxta nomen
abundans gratia,
Generavit
reginam virginum,
Quae cunctorum
portavit Dominum.

V. Digna quidem
caelesti titulo,
Stellam maris
produxit saeculo.

2. Stirps Aaron sancta
cum stirpe David dedit
Annam,
Quam genus et mores
commendant claraque proles;

V. Prodiit ex Anna
vas portans nobile manna.

3. Te, felix domina,
sublimat filia trina,
Prima Deum caeli
genuit credens Gabrieli,

V. Sex aliae natos
genuerunt hosque beatos.

In 2. Nocturno.

Responsoria.

1. Anna nupta Joachim
Deo servivit sedulo,
Quae produxit stellam maris
naufraganti saeculo.

V. Stirpe nobilis,
Virtute spectabilis,
Larga egenis,
Omni grata populo.

2. Oriunda ex Bethlehem
Claram Anna
duxit originem
Ex alto regum sanguine
Et summorum sacerdotum
sacro genere

V. Tam clarum genus
magnis virtutibus
Venustavit et
sanctis operibus.

3. Anna floret ut lilium
In summi regis curia,
Thronum adepta regium
Cum immortali gloria,
Inter matronas rutilans,
Ut sol mundum illuminans;
V. Iam cum sanctis
gaudet in patria
Summi boni
fruens praesentia.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Felix Anna,
cuius tres filiae
Sic praeventae
sunt dono gratiae,
Ut felices
prae cunctis ceteris
Sint iam in liberis.
V. Prima gignit regem gloriae
Sex sanctos praecipuos aliae.

2. O mater Anna nobilis,
Oliva pulchra, fertilis,
Alta, fructu fecunda,
Beata cuius ubera
Suxit virgo puerpera
Ab omni labe munda;
V. Anna, mater egregia,
Conserva Dei gratia
A morte nos secunda.

3. Trinitati laus aeterna,
Anna die hodierna
Tendit ad superna
Gaudia,
Regnat et exsultat
Cum beatis
Cuius sacratissimi ventris
Fructus amabilis
Factus est reclinatorium
Aureum trinitatis.
V. *Speciosa facta es et suavis in deliciis tuis.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Anna Christi thalamum
Intrans cum honore,
Cinamomum, balsamum
Superat odore.

2. Pulso mentis nubilo,
Deterso maerore
Conspicit in iubilo
Regem in decore.

3. Vigilans et sitiens
Haec quaesivit Deum,
Larga dona largiens,
Sic invenit eum.

4. Benedicant omnia
Deum, qui donavit
Annae talem filiam,
Quae Iesum lactavit.

5. Aulam caeli curiae
Anna iam ingressa
Laudat regem gloriae
Voce indefessa.

Ad Benedictus.

A. Benedictus, qui invisit
Nos sua clementia
Et ad caelos iam transmisit
Annam cum laetitia,
Cuius sacris det precibus
Pacem nostris temporibus.

Ad Magnificat.

A. O radix viva,
mirae pietatis oliva,
Ex qua cunctorum
processit origo bonorum,
Tu nos, Anna, pia
benedic cum prole Maria.

Brev. ms. Altenhohenavien. saec. 15. Clm. Monacen. 2905. A. — Brev. ms. Cameli Abensbergen. anni 1482. Clm. Monacen. 2502. B. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Clm. Monacen. 23155. C. — Brev. Ord. S. Iohannis Hierosolymit. imp. Spirae 1495. add. ms. Bibl. Meliten. Pragen. a IV L°271 D. — Diurn. ms. Pedepontanum saec. 15. Cod. Meliten. Pragen. a IV L 270. E. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Constantien. 1393. F. — Brev. ms. Cameracense saec. 15. Cod. Laudunen. 255. G. — Brev. ms. Capit. Dusseldorpini saec. 15. Cod. Dusseldorpin. C. 64. H.° — Brev. Monasteriense imp. 1489. add. ms. (Semin. Monasterien. K 8. 174). I. — Antiph. ms. S. Annae Lubicen. anni 1520. Cod. Lubicen. 1500. K. — Brev. Augustanum imp. Basileae 1521. L. — Brev. Cameracense imp. Parisiis 1497. M. — Brev. S. Donati Brugen. imp. Parisiis 1520. N.

In 1. Vesperis. Nur 1. **A** super Ps., die erste H I. — **A** 5 lautet in G:

Anna parit tres Marias,
Quarum primam Isaias
Praedixit divinitus
Virgam florem producturam
Virginemque parituram
Dono sancti spiritus.

Fünf völlig verschiedene **AA** super Ps. enthält K:

1. Festo die recolitur,
Quod laeta caelo fruitur
Iam mater matris gratiae,
Anna congaudens filiae.

2. Ex Abrahae progenie
Pontificumque genere,
Ex clara David linea
Prodit haec sancta femina.

3. Vere beata femina,
Quae singulari gratia
Cunctarum praeit merita
Matrum excepta filia.

4. Anna, felix puerpera,
Fecunda tali filia,
Tu magnae nimis gratiae
Testaris ipso nomine.

5. Gaude, beata genetrix,
Quae donum tantum accipis,
Ut matres omnes alias
Prolis honore praeeas.

In derselben Quelle geht der **A** ad Magnificat das folgende Responsorium vorher:

R. O nimium felix et laude canenda perenni,
Anna, decus matrum, luxque serena poli,
Pignora quae nostrae peperisti prima salutis
Et nunquam frustra, quando vocaris, ades,
V. Affer opem nobis mundoque medere iacenti
Afflictosque omnes respice, cara parens.

Ein anderes Responsorium an gleicher Stelle bietet B:

R. Regnum caeli
et vitae coronam
Possidet iam
Anna fruens dulcorem
Domini nostri Iesu Christi.
Quem videt in decore,
Cuius pascitur amore.

Ad Magn. **A** lautet in K wieder abweichend:

O caeli lampas radians, o florida vitis,
Tu nostrae placidae nuntia certa spei,
Te sterili matre divino numine nata
Filia, qua mulier plus nihil ulla tulit.
Quae summum superis declivem sedibus in se
Traxit ad horrendae vincula dura crucis.
Iure potens igitur, natae Christoque propinqua,
Pro nostra semper funde salute preces.

In 1. Noct. Die **AA** sind in dieser und den folgenden Noct. prosaisch. — **R** 1, 2 clara fehlt D. — **R** 2 Te felix domina etc. G; in I:

R. O pia matrona, caelesti digna corona,
Femina virtutis, pete nobis dona salutis,
V. Salve, cara Dei, rutilans plus luce diei.

R 3. Anna nupta Ioachim etc. G. — In 2. Noct. **R** 1, 2 serviebat B. — **R** 1, 5 Stirps D. — **R** 1 Oriunda ex Bethlehem etc. G; O mater Anna nobilis etc. HI. — **R** 2 Anna floret ut lilium etc. GHI. — **R** 3 Stirps Aaron sanctam etc. HI; Felix Anna cuius tres filiae etc. G. — In 3. Noct. **R** 1 O pia matrona etc. G; Haec est sancta parens Anna etc. prosaisch D. — **R** 2 prosaisch G; in HI:

R. Ave, vitis fertilis,
Vitae dans odorem,
Palmes cuius nobilis
Sacrum tulit florem,
Cuius sol, fons luminis,
Miratur decorem;
V. Mater reginae virginum,
Ora pro nobis Dominum.

R 3 prosaisch GHIK. — In Laud. ad Bened. **A**, 1 Benedictus Deus, qui L. — In 2. Vesp. Ad Magn. **A** setzt K ad Nonam; statt dessen hier DK: Felix locus, felix ecclesia etc., aus dem Officium Thomae Cantuar. entlehnt und verderbt. — Hymnen: In 1. Vesp. Lucis huius festa B (Mone III, 189); Salve sancta parens H (Mone III, 189); ad Noct.: Clara diei gaudia B (Mone III, 190); Plaudat chorus fidelium A (Anal. IV, 79); Iesu redemptor saeculi K (Mone III, 193); ad Laud.: Omnis sanctorum concio B (Anal. IV, 81).

20. De sancta Anna.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, mater insignita
Donis gratiarum,
Via, per quam venit vita,
Doctrix animarum,
Parens mundo requisita,
Decus feminarum,
Per te nobis sit largita
Venia culparum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Exsultemus Christo regi
psallentes victoriam,
Qui matris suae genetricem
transvexit ad gloriam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Anna, nupta Ioachim
foedere regali,
Servivit altissimo
cultu speciali.
2. Distulit sterilitas
fructum genitrae,
Sed supplevit gratia
defectum naturae.
3. Exspectans fideliter
venturum Messiam,
Gradu distans unico
peperit Mariam.

Responsoria.

1. Ad ortum gratiae,
promissae caelitus,
Aurora rutilat
in vase spiritus,

Dum praeeligitur
Anna divinitus;
V. Summorum civium
gaudet exercitus,
Quod sit hominibus
ad vitam reditus.

2. Nutrita Bethlehem
parentum studio,
Transit in Nazareth
data coniugio,
Christum praenuntians
certo mysterio,
V. Cuius nativitas
atque conceptio
Loca dant eadem
sub privilegio.

3. Stirpis Davidicae
clara progenies,
Virtutum probitas,
gestorum series
Ostendit, ubi sit
sanctorum requies;
V. Matris et filiae
coniuncta species
Legis et gratiae
fit unus paries.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Anna gerit filiam
forma speciosam,
Sed quod pluris laudis est,
summe gratiosam.

2. Conceptus non derogat
matris honestati,
Nam proles eximitur
a labe peccati.

3. Gloriosa civitas
Nazareth electa,
Cuius civis exstitit
Anna praeelecta.

Responsoria.

1. Turbantur steriles
legis opprobrio,
Superna pietas
adest remedio,
Duos laetificat
una promissio
De fructu fertili,
peccati nescio.
V. Probat citissime
pia devotio,
Quod nil timendum est
Deo propitio.

2. Mons domus Domini
conscendit verticem,
Virtutem praeferens
et vitam simplicem,
Annae fecunditas
tendit ad apicem,
Uteri sterilis
non timens obicem.
V. Dum legis litera
monet pontificem,
Adpellat sanctitas
ad summum iudicem.

3. Mater mirabilis,
digna memoria,
Mundum laetificat
post damna tristia,
Cuius fecunditas
in prolis gratia
Terrena reparat
atque caelestia.
V. Anna, perpetuae
salutis nuntia,
Mariam pariens
innovat omnia.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Anna fructu gravida,
sed nil portans grave,
Manna verum continens
omnibus suave.

2. Stupens ex miraculo
concepit puellam,

Quid est mirabilius?
terra parit stellam.

3. Universi praedicant
te matrem felicem,
Per quam nos suscepimus
Christi genetricem.

Responsoria.

1. Fugantur tenebrae
primae tristitiae,
Nova lux oritur
verae laetitiae;
Nullam particulam
sonat iniuriae,
Quod Anna dicitur
inventrix gratiae,
V. Ex qua dum nascitur
flos innocentiae,
Salus ostenditur
et arrha gloriae.

2. Candescit Libanus,
cedrus extollitur,
Caelesti lumine
terra perfunditur,
O quantis gaudiis
Anna reficitur,
Divino munere
cum benedicitur!
V. Haec mater merito
cunctis praeponitur,
Quarum integritas
natura solvitur.

3. Regalis semita
strata virtutibus,
Aeterni principis
parata gressibus,
Finem constituit
suis limitibus,
Dum Anna colligit
rosam ex floribus;
V. Sic benedictio
promissa patribus
Annam dignificat
in multis matribus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Fructus Annae nobilis
induit decorem,
Administrans saeculis
gratiae splendorem.

2. Per Annam reducitur
annus iubilaeus,
De cuius propagine
venit homo Deus.

3. Columba revertitur
ramum dans olivae,
Dum ex Anna nascitur
flos virtutis vivae.

4. Lignum vitae fert medelam
labentis naturae,
Cuius fructum benedicunt
omnes creaturae.

5. Laus et honor Iesu Christo,
nato Dei patris,
Cum quo regnat in excelsis
mater suae matris.

Ad Benedictus.

A. O parens magnifica,
nobilis persona,
Cuius proles praeminet
caelesti corona,
Famulorum precibus
fave, mater bona,
Cunctisque temporibus
pacem nobis dona.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Anna, sancta mulier,
toto desiderio
Te beatam praedicat
omnis generatio,
Mariam conspiciens
in regali solio,
Tu amore filiae
sis nobis praesidio,
Ne nos Christus veniens
damnet in iudicio.

Brev. ms. Carmelit. Hibern. anni 1489. Cod. Collegii SS. Trinitatis Dublinen. B. 3. 16.

21. De sancta Anna.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Felix orbis, felix hora,
Dum stat inter filias
Anna velut lux decora
Morum dans primitias.

2. Genetrici suae digne
Praeparat palatium,
Annae corpus dum insigne
Creat factor omnium.

3. Quam praeclarum et iucundum
Est Annae corpusculum,
In quo Deus matri mundum
Praestat habitaculum.

4. Ager Annae rosam florum
Protulit et lilium,
Rosa florens, en. decorum
Profert Dei filium.

5. Mediante nobis Anna
Mediatrix nascitur,
Cuius ventre dulce manna
Mundum sanans oritur.

Ad Magnificat.

A. Quam felici, quam beata
Sorte carni copulata
Virginis est anima!
Nam per eam in materna
Membra Deus dat superna
Gaudia permaxima.
Neque verbis explicata
Sciri iam tunc Annae data
Summa consolatio;
Ut pax Dei nobis detur,
Hoc sublimis operetur
Annae deprecatio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Mariam, Annam venerantes
Venite iubilemus,
Sanctarum festa celebrantes
Summum sanctum adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Annae matrimonium
Vera castitate
Prae cunctis mortalium
Praecessit beatae.

2. Florens sanctimonia
Iam gravis aetate,
Plena magna gratia
Ardet caritate.

3. Anna plorat et implorat
Dona sancti spiritus,
Caelum rorat et irrorat
Gratiam divinitus.

Responsoria.

1. Iuste vivens et perfecte
Arsit Annae cor directe
Divinis adfectibus,
Ex hoc fuit praeelecta,
Deo placens et dilecta
Prae cunctis coniugibus.

V. *Facta est quasi navis institoris de longe portans panem suum.*

2. Civis missus est supernus.
Annam implet sempiternus
Fructus sapientiae,
Ventris portat in secreto
Dei patris ex decreto
Thesaurum clementiae.

V. *Praeposui illum regnis et sedibus et divitias nihil esse duxi in comparatione illius.*

3. O Maria, maris stella,
Serva, carnis ne procella
Nos mergat in vitiis,
Tuae matris interventu
Angelorum ex concentu
Laetemur et praemiis.

V. *Tu es mater pulchrae dilectionis et agnitionis et sanctae spei.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Felix Anna gustans manna
   Divinae dulcedinis
   Illustratam parit natam
   Summae pulchritudinis.
2. Quam sit cara, quam praeclara
   Casta generatio,
   Nos informat, mundum ornat
   Annae parturitio.
3. Anna prudens et maritus
   In omni iustitia
   Legis suae servant ritus
   Lucentes in gratia.

Responsoria.

1. Hoc honestum atque rectum,
   Hoc devotum ac perfectum
   Est in matrimoniis,
   Castum quod servent amorem,
   Quod se iungant in honorem
   Divinis servitiis.

V. Castus amor quaerit prolem.
   Non carnis lasciviam.

2. Nubentes se iuste tenent,
   Si de mundi se refraenent
   Caute desideriis,
   Ne superba mens prorumpat
   Vel acerba pacem rumpat
   In suis malitiis.

V. *Beatus, qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram.*

3. Apud caeli cives erunt
   Grati, si non sibi quaerunt.
   Sed factori gloriam,
   Ut per omnes honoretur,
   Qui hoc semper promeretur
   Per suam clementiam.

V. *Benedicite Deum caeli et coram omnibus confitemini illi.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ante Deum Anna patet
   Collaudando iugiter,
   Hostis timet, miser latet
   Ipsa stante fortiter.
2. Offert foris et in templo
   Precum sacrificia,
   Verbo trahit et exemplo
   Ad Dei servitia.
3. Dei ducit ad honores
   Plurimos ex populis,
   Ut acceptent dignos mores
   Pro aeternis saeculis.

Responsoria.

1. Omnes noscens creaturas,
   Tam praesentes quam futuras,
   Dei praescientia
   Non invenit ita gratum
   Nec virtutum comprobatum
   Par inter coniugia.

V. *Non est inventus similis illis, qui conservaret legem excelsi.*

2. Illos Deus, quos praescivit,
   Quos dotavit et vestivit
   Tanta praecellentia,
   Dignos inter omnes gentes
   Praeelegit in parentes
   Et matris obsequia.

V. *Elegit eos ex omni carne et dedit illis cor ad praeccpta et legem vitae.*

3. O laus grandis Annae matris,
   Nam praeclarum Dei patris
   Est gazophylacium,
   In quo clausit summum aurum
   Deitatis et thesaurum,
   Thesaurorum optimum.

V. *Candor est enim lucis aeternae et imago bonitatis illius.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Anna, virens radix Iesse,
   Pullulat utiliter,
   Nos virtutum replens messe
   Per Mariam dulciter.

2. Annam nuptae reverenter
Extollant praeconiis,
Eas iuvet ut decenter
In suis coniugiis.

3. Annae preces dum exundant
Pro nuptarum venia,
Matres ditant et fecundant
Nutriendi gratia.

4. Annam clerus veneretur
Postulans suffragia,
Ut Mariae per hoc detur
Magna reverentia.

5. Anna, Maria precibus
Clerum et ecclesiam
Confortent, ut in omnibus
Servent continentiam.

Ad Benedictus.

A. Nobis erat hoc necesse,
Quod virendo radix Iesse
Virgam introduceret,
De qua virga flos prodiret,
Qui nudatos revestiret
Et aegros reficeret,
Devictoque mortis felle
Deitatis sacro melle
Nos sursum erigeret;
Hoc, Maria, flos decorus,
Iesus dulcis et saporus
Tua prece conferet.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Mundi carnis et daemonis
Astuta ne malitia
Nos conterat in vitiis
Et trahat ad supplicia,
Anna nobis et filia,
Plenae virtutum gratia,
Salvantes a miseria
Grata ferant suffragia.

Brev. Nidrosiense imp. Parisiis 1519. — Invit. 1 Mariam et Annam. — In 2. Noct. R 1, 4 Castumque servent. — R 3, 5 semper meretur. — In Laud. Ad Ben. 2 Quod vivendo. — Zu dem Officium gehören die Hymnen: Salve parens Anna, Arbor est altae gloriae und Anna matrona maxima; vgl. Klemming III, 12, 14 und 19. Ebendort ist dieses Officium mitgeteilt aus Brev. Lincopense imp. Norimbergae 1493 mit der Angabe „Nicolaus Hermanni, episc. Lincopen.“

22. De sancta Anna.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O felix Anna,
o sancta, o benedicta,
Quae meruisti
mater esse matris Christi,
Pia Deum exora
Pro nobis et implora,
Ut, qui tua celebrant sollemnia,
Perducantur ad caelestia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus
natum summi patris
In honore Annae,
matris suae matris.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Reditus namque suos
in partes dividebant,
Quarum primam
templo offerebant.

2. Peregrinis et egenis
erogabant aliam,
Sibi et familiae
reservabant tertiam.

3. Cum sic annum pervenissent
Usque ad vicesimum
Et prolem nondum habuissent,
Erant in opprobrium.

4. Die quadam encaeniorum
Intravit Ioachim sancta sanctorum,
Deo ut daret munera
Secundum legis foedera.

5. Isachar dixit ad Ioachim:
Non offeres Deo, etenim
Non fecisti semen in Israel,
Te maledixit Emanuel.

Responsoria.

1. Nazarenus, Annae pater,
Vitae vir egregiae
Fuit, ex Bethlehem mater
Regali progenie.

V. Oportebat illam
digno nasci semine,
Ex qua mundo nasci munda
debebat a crimine.

2. Dum oraret cum singultu
Felix Anna, plena luctu,
Dixit ei angelus:
Noli flere amplius,

V. Nam exaudita es,
Concipies et paries
Pulchram sanctam filiam,
Vocabis eam Mariam.

3. Preces tuae sunt acceptae
in conspectu Domini,
Non dolebis, sed gaudebis
immunis opprobrii.

V. Cara Deo, Anna
Mundo pium nobis
dabis manna.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Infecundos cum fecundis
mos non erat sistere,
Nisi Deus daret illis
prius prolem gignere.

2. Hoc Ioachim conturbatur
confusus opprobrio,
Quem pontifex protestatur
indignum elogio.

3. Exprobrabat et dicebat
hunc valde praesumere,
Qui fecundis infecundum
sperabat coniungere.

4. Non naturae, sed peccati
ultor exstat Dominus,
Sed uterum cum interdum
obstruit alicuius,
Ad hoc facit, ut per ipsum
reparet in melius.

5. Dilatos diu conceptus
et steriles partus
Dicit doctor vere
meliores esse solere.

6. Ad hoc claudit Dominus
Uterum alicuius,
Ut denuo aperiat
Mirabilius,
Et id, quod datur,
Non esse libidinis,
Sed divini muneris
Cognoscatur.

Responsoria.

1. Ex hoc autem opprobrio
Ioachim pulsus nimio,
Statim intravit eremum,
Ibi ut oraret Dominum;

V. Pudore suffusus
a templo recessit
Et ad eremum
subito concessit.

2. Cumque fleret in deserto,
Dixit ei angelus:
Ioachim, habe pro certo,
Audivit te Dominus,

V. Ecce, namque uxor tua
Concipiet
Et pariet filiam.

3. Vobis quoque nasciturum
Nunc praesago filiam
Dei matrem fore gratam,
Specie pulcherrimam,

V. Vocabitis hanc Mariam,
Gratia mirificam.

4. O regina caelorum,
Mater regis supernorum,
Veni, pia, et adesto
Tuae sanctae matris festo,
Cui hodie
Coetus ecclesiae
Decantat praeconia laudum.

V. In honore tuae matris
Placa iram summi patris,
O manna
Ortum ab Anna.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Cum Anna audisset,
Quod Ioachim recessisset
Opprobrii obiectu,
Toto mentis affectu
Orando, plorando dixit:
O Domine,
Rex sine fine,
Quae dixi, quid feci,
Ut dicar maledicta?
Fac, ut sim benedicta.
Cui dixit protinus,
Noli flere, angelus,
Nam exaudita es,
Concipies et paries
Dei matrem et filiam.
Vocabis eam Mariam.

Responsoria.

R. Inclita stirps Iesse
virgam produxit ex se,
De qua flos vernat novo more
miro perfusus odore;

V. Haec virga dans manna
est, quae processit ab Anna.
Maria, mellis stilla,
flos est ortus ab illa.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. In laudibus Annae
studeat natus et pater,
Nam Dei matris
meruit esse mater.

2. Homo, qui in Deo gaudes,
Hanc si tantum collaudes.
Deo eris gratus
Et in fine beatus.

3. Habet privilegium
Mater matris Dei,
Ut det privilegium
Adstantibus ei.

4. In hac enim construitur
Templum sacri spiraminis,
Cella numinis,
Per quam hostis devincitur.

5. Haec est paradisus,
In quo hortus conclusus
Excolitur,
In quo fons signatus,
Maria, fons hortorum,
Recipitur.

Ad Benedictus.

A. O felix Anna,
Quae angelico affatu
Digna fuisti
Et mater matris Domini
Esse meruisti,
Placa regem gloriae,
Natum tuae filiae,
Quam tu pie lactasti.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Anna,
Bonorum radix omnium,
O Manna
Dans mundo verum gaudium,
Caeli admiratorium,
Dei reclinatorium,
Tu es electa civitas,
In qua Dei palatium,
Horti clausi tugurium,

Sola ut intret deitas;
Quanta sit tibi dignitas,
Nemo posset exprimere,
Nam te possum asserere
Matrem esse matris Dei:
Ergo fac nos gratos ei
Tua prece assidua
Et trahe nos ad ardua.

Brev. ms. Griesense saec. 15. Cod. Griesen. 44. — In 1. Noct. **A** 6 fehlt. — **R** 4 prosaisch. — In 2. Noct. **R** 3, 2 Tunc. — In 3. Noct. **R** 1—3 prosaisch; **R** 4 verderbt. — In Laud. **A** 3, 4 fehlen zwei Silben; ei ergänzt.

23. De sancta Anna.

In 1. Vesperis.

R. De spina Hebraica,
De stirpe Davidica
Recens surgit rosa,
Mundo dans primordium,
Salutis exordium,
Anna generosa;
V. Mariam haec genuit,
Miserorum scutum,
Quia semper viruit
In donis virtutum.

Ad Magnificat.

A. Magnificent vigiles
Exaltantem humiles
Deum omnes gentes,
Ut Annae precatibus
A cunctis reatibus
Nostras mundet mentes.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In tam sacro sollemnio
Matris matris Dei
Adoremus in gaudio
Deum iubilaei.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex ore infantium
Deus laudem perficit,
Per Annae coniugium
Satanam cum deicit.
2. Hoc in sole posuit
Suum tabernaculum,
Dum salvare voluit
Deus suum populum.
3. Prae suis consortibus
Oleo laetitiae
Hanc iunctam caelestibus
Deus unxit hodie.
4. Suum tabernaculum
Dominus sanctificat.
Annae cor dum lectulum
Sibi soli dedicat.
5. Magni regis civitas,
Anna laetabunda,
Omnibus sterilitas
Tua est fecunda.
6. O beata Christi ava,
Sordes nostras prece lava,
Tuae natae interventu
Ut locemur in conventu
Beatorum omnium.

Responsoria.

1. Nova lux mundo oritur,
Fulgore grato rutilans,
In gaudium plebs tollitur
Novellas laudes iubilans;
V. Ad Annae natalitia
Nova fulgent sollemnia.
2. Felici origine
Sacra de propagine
Anna sumpsit ortum,
Vita huius inclita
Nobis praestet merita
Et salutis portum;
V. O felix nativitas,
Qua paratur, qua speratur
Aeterna felicitas.

3. Annos Anna pubertatis
Dignis currens cursibus,
Viro paris honestatis
Legis nubit ritibus,
V. Ioachim est desponsata,
Purpurata et ditata
Floret aequis moribus.
4. Actus vitantes obscenos
Caelibe coniugium
Annos simul per bis denos
Pio vivunt studio,
V. Ambo denique nobiles,
Sed ventris fructu steriles.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Divina iustitia
De caelo prospexit,
Sorte multifaria
Quae Annam protexit.
2. Sanctis sunt in montibus
Annae fundamenta,
Quae semper virtutibus
Virebat intenta.
3. Extendit ad fortia
Felix illa manum,
Sic in innocentia
Mundum vicit vanum.
4. Praeceptis legalibus
Tota intendebat
Nec ullis erratibus
Ab his recedebat.
5. Viro iuncta socia
Nexu coniugali,
Boni tamen conscia
Morbo carens mali.
6. Gaudeat ecclesia
Annae de natali,
Habentis exordia
De stirpe regali.

Responsoria.

1. Iesu Christe, nepos cuius
Tu es, ob amorem huius
Molem tergens peccatorum
Regno transfer nos polorum,
V. Fecundatos inclitis
Castitatis meritis.
2. Ex Nazareth Ioachim
Originem produxerat,
Annam hanc in Bethlehem
Clara stirps genuerat,
V. Ambos aeque nobiles,
Devotos et dapsiles.
3. Rei suae substantiam
Devota consuetudine
Dant partitam trifariam
Vivi Dei pro nomine,
V. Partem dant egentibus,
Partem sacerdotibus,
Partem suis usibus.
4. Horum vita fuit grata
Deo in caelestibus,
In virtute solidata
Placens et hominibus,
V. Non indigne, sed tam digne
Rosa iuncta lilio.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Mundi decus, orbita,
Gratulans laetare
Celebrando inclita
Festa Annae clarae.

Responsoria.

1. Angelus hos consolatur,
Eisdem dum nuntiatur
Nascituram filiam,
Mundo dantem gratiam,
Angelis lactitiam,
Trinitati gloriam.
V. Spargit ut sol radium,
Pariet haec filium,
Vitae dantem bravium.
2. Anna tandem filiam
Peperit eximiam,
Macror terminatur,

Fugatur opprobrium,
Cumulatur gaudium
Risus frequentatur.
V. O grata sterilitas,
Quam fecundat et secundat
Tantae prolis dignitas.

3. Vovent ipsi, si daretur
Nuptiarum praemium,
Ipsum quidem offerretur
In Dei servitium.
V. Hoc tribus sollemniis
Quaerunt sacrificiis
Et piis officiis.

4. O felix commercium,
O caelebs coniugium
Ioachim et Annae,
Qui de stirpe regia
Natam plenam gratia
Gignunt, arcam mannae;
V. Felices hi gemini
Deo cari, mundo clari,
Nulli dati crimini.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Annam sacram induit
Dominus decore,
Semper enim viruit
In eius amore.

Ad Benedictus.

A. In domo ecclesiae
Sol refulsit gratiae
Luce radiosa,
Anna gratiosa,
Iesu, cuius inclitis
Precibus et meritis
Nos ex alto visita,
Cuncta delens debita.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Obstruxit Deus omnium
Os Ioachim dicentium
Maledicto
legis obnoxium.

Ad Tertiam.

A. Israeli convenit
Deo benedicere,
Qui de ipso voluit
Matrem sibi sumere.

Ad Sextam.

A. Vobis, Sion filiae,
Magnae sunt laetitiae
Dei pro hospitio
Praeparato filio.

Ad Nonam.

A. Miserendi patribus
Tempus adventabat,
Mariam cum angelus
Venturam monstrabat.
Quae cum matre postulet,
Ut nos pie visitet
Oriens ex alto.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Abraham in semine
Pepigisti, Domine,
Nos omnes salvare;
Annue ergo precibus,
Ut iurasti patribus,
Nostri miserere.

Brev. ms. Campoliliense saec. 15. Cod. Campolilien. 4. A. — Diurn. ms. Cisterciense saec. 15. Cod. Ducumburgen. 80. B. — In 1. Noct. **A** 2, 2 Tabernaculum suum A. — **A** 2, 4 populum suum A. — **A** 6, 1 O beata Anna A. — **R** 1, 1 mundo fehlt A. — **R** 2, 5 merita praestent A. — **R** 2, 6 Et salutis fehlen A. — **R** 3, 3 Virgo paris A. — **R** 3, 4 Legis ymbit ritibus A. — **R** 3, 5 Ioachim haec est A. — **R** 4, 6 Sed ventris fructus sui steriles A. — In 2. Noct. **A** 3, 1 Extendet A. — **A** 4, 4 Ad se cedebat A. — **A** 5, 1

Virgo iuncta A. — **A** 5, 4 Morbo carens omnis mali A. — **A** 6, 1 Gaudet A. — **R** 2, 3 Anna haec **A**. — **R** 2, 4 Ambos eius nobiles A. — **R** 4, 1 sq. vita fuit Deo grata in A. — **R** 4, 4 et fehlt. A. — In 3. Noct. **R** 1, 2 Eis dum A. — **R** 3, 4 In Dei sacrificium A. — **R** 4, 8 Deoque cari A. — In 2. Vesp. super Ps. hat B 4 **AA**, nämlich **A** 1, 2 und 3 der 1. Noct.; vor der letzteren aber die folgende:

3. Deus super omnia
Qui terram fundavit,
Gratiam pro gratia
Annae cumulavit.

Stand vielleicht diese **A** ursprünglich auch in der 1. Noct.? Dann würde **A** 6 fortfallen, die abweichenden Bau hat. — Hiezu der Hymnus: Nova Annae sollemnia (Anal. IV Nr. 138).

24. De sancta Anna.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Quasi stella matutina,
Aurorae praenuntia,
Et sicut rosa in spina
Fulsit Anna eximia,
Quae nobis divina
Det cum prole pia.

R. Celebremus devotissime
Memoriam Annae sanctissimae.
A qua nostra salus est inchoata
Et pax a Deo patre nobis data.

V. Laudemus Dominum,
Salvatorem omnium,
In honore sanctae Annae.

Ad Magnificat.

A. Magnificet Dominum,
Almae virginis filium,
Mundum cor et vox omnium
In devote recolenda
Sanctae Annae memoria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Devoto corde
Christo iubilemus et ore,
Annam qui sanctam
caeli transvexit ad aulam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Admirabilem Dominum,
Salvatorem omnium,
Collaudemus animo et corde
In memoria sancta Annae.

2. Cuius proles benedictus
Est Dei patris filius,
Pro nobis nasci exsultavit
Et pro nobis ad mortem properavit.

3. Sancta Anna est benedicta
In semine Abrahae a Deo,
Quia haec est felix generatio,
Quae salutem attulit
Universo mundo.

Responsoria.

1. Fulget beatissima Anna,
Fructu salutis fecundata,
Quae ex sacerdotali inclita
Est prosapia progenita.

V. Hanc in semine Abrahae
Benedixit rex gloriae.

2. Praeclara mater Anna,
Ex stirpe Aaron orta,
Veneranda cunctis emicuit,
Quae matrem Domini genuit

V. Et ut sidus fulgidum
Decoravit saeculum.

3. Tu es, Anna, laudabilis,
Quae precibus atque votis
Prolem a Deo postulatam
Genuisti magnificatam,
V. Per quam mors fugata cedit,
Per quam salus nostra redit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Audi, filia, et vide
Dolorem nostrae angustiae
Et inclina aures tuas,
Domina, ad preces nostras.
2. In utero
sanctae Annae
Sanxit thronum
suum rex gloriae.
3. Gloriosa de te dicta
Sunt, mater eximia,
Quae sola digna fuisti
Gignere matrem Christi.

Responsoria.

1. Tu es Sara fecunda,
Quae risum et gaudia
Mundo flebili intulisti,
Dum Mariam peperisti,
Stellam maris, matrem Christi,
V. Cuius quippe partus gaudio
Mundum replet et iubilo.
2. O laudandam feminam,
Quae Iudith benedictam
Et decoram specie
Et plenam clementiae,
Salvantem a periculis,
Progenuit populis,
V. Quae casta
Holofernem prostravit
Et Dei
populum liberavit.
3. O beata et gloriosa
Anna, quae divinitus
Per electionem
Lucernam Christo praeparasti,
Dei filio,
Tu propitia
Ipsi nos continua
Prece recommenda.
V. Ut eius propitiatio
Electorum suorum
Nos annumeret consortio.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Exsultet omnis terra.
Quoniam beata Anna
Mariam nobis genuit,
Ex qua Deus natus
Nos salvare venit.

2. Cum Domino
Anna exsultabit,
Et cum eo
sine fine regnabit.

3. Corde et animo pio
Cantemus gloriam Deo,
Qui fecit mirabilia
In Annae matris filia.

Responsoria.

1. Sidus Anna tres lucernas
Erranti mundo intulit,
Dum fecunda mater ternas
Filias claras protulit,
Quarum virgo
Maria dignior
Ut sol stellis
refulget clarior;
V. Haec mater regis gloriae
Et plena omnis gratiae.

2. Anna conregnat gloriosa,
Inter filias
Ierusalem speciosa,
Quam filiae Sion viderunt
Et beatissimam praedicaverunt,
V. Et reginae eius faciem
Laudaverunt desiderabilem.

3. Decus mundi, felix Anna,
Tu gloria et honore
Coronata es in patria,

Exora assiduis precibus
Tuam memoriam agentibus;
V. Gaudes namque cum Christo
Et cum benedicta prole
In vestitu deaurato,
Circumdata varietate.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dominus sanctae Annae
Praeparavit sedem gloriae,
Quam obtinet digna laude
In dierum longitudine.
2. Haec introducta caelestibus
Portis cum hymnis et laudibus
Iuncta est sanctorum coetibus.
3. Labia omnium
Collaudent Dominum,
Quia omnibus gentibus
Sancta Anna,
Terra benedicta,
Dedit fructum suum.
4. Benedicamus Iesum,
Salvatorem omnium,
Ex prole Annae genitum.
5. Anna, Sion filia,
In rege suo exsultavit,
Quam secum in gloria
Super caelos exaltavit.

Ad Benedictus.

A. O lampas mundi, lumen caeli,
Felix Anna, laude digna,
Tu benedicta femina,
Cuius proles omnibus
Nobis Christum genuit,
Qui nos a nostris sordibus
Unda cruoris abluit
Et a cunctis hostibus
Sua morte eruit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Exsulta, Anna, in Iesu pio,
Deique prolis tuae filio,
Cum qua prole magnifica
Pro nobis Christo supplica,
Ut nos purget a sordibus
Et iungat sanctorum coetibus.

Viaticus Iohannis Noviforensis saec. 14. Cod. Mus. Bohemici s. n. A. — Brev. ms. Pragense saec. 14. Cod. Pragen. VII A 12. B. — Brev. ms. Pragense saec. 14. Cod. Pragen. VI E 4a. C. — Brev. ms. saec. 15. Cod. Palat. Vindobonen. 13847. D. — In 1. Vesp. Super Ps. hat D fünf **AA**, welche dem Officium Anal. V. Nr. 37 entlehnt sind; BC beginnen mit dem **R.** — In 1. Noct. **A** 1, 4 memoriam D. — **A** 2, 1 Eius D; benedicta AD gegen den Reim. — **A** 3, 1 Beata Anna es D. — **R** 3 fehlt D. — In 2. Noct. **A** 1, 2 Clanorem nostrae CD. — **A** 2, 1 In fehlt A. — **A** 2, 3 thorum D. — **A** 3, 1 Gloriosa dicta sunt A, sunt dicta B. — **A** 3, 2 De te mater eximia B; mater fehlt A. — **A** 3, 3 fuisti digna A. — **R** 1, 1 Tu es sacra BD. — **R** 1, 2 gaudium B. — **R** 1, 5 fehlt B. — **R** 1, 6 Tuus quippe D; Cuius quidem B. — **R** 1, 7 implet in iubilo BC. — **R** 2, 2 Quae fehlt C; statt des Ganzen ein prosaisches **R** D. — **R** 3 in D:

R. Eia, vena, vitae principium,
Confer lapsis precis auxilium,
Ut ad verae vitae solstitium
Attrahamur per natae filium.
V. Ad te tristes exsules
Evae clamant filii,
Quos decertent daemones
Et labores exsilii.

In 3. Noct. **A** 2 und 3 umgestellt D. — **A** 3, 4 In almae matris C. — **R** 3, 1 O felix Anna decus mundi A; O decus mundi felix Anna BC. — **R** 3, 6 Gaudens namque regnas cum BC, regnans D. — In Laud. **A** 3, 2 collaudent BC. — **A** 3, 5 benedicta fehlt A. — **A** 4, 3 Ex fehlt A. — Ad Bened. **A**, 4 sq.

nobis omnibus A. — Ibid. 7 Unda cruore B. — In 2. Vesp. ad Magn. A. 1 Exsultas A. — Hymnen: In 1. Vesp. De stella sol oriturus (Mone III, 188); ad Noct.: Praeclari patris Abrahae (Anal. IV, 78); in Laud: Sancta Anna exaltata (Ibid. in der Note).

25. De sancta Anna.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Adest iam festum celebre,
Quo mater matris innubae
Percepit vitae gaudia
Et regnat iam cum filia;
Eam laudare condecet,
Ut precibus nos adiuvet.

Ad Magnificat.

A. Felix terra, pariens
caelum trinitatis,
In quo corporaliter
fons divinitatis
Habitare voluit,
reos a peccatis
Solvens duc ad patriam
summae claritatis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad iubilandum Domino
Toto conemur animo,
Qui nostrae matrem dominae
Caeli locavit culmine.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus auctor sacculi
Mundo dignatus compati
Stirpem elegit inclitam
Sumpturus carnis trabeam.
2. O quam felix prosapia,
Quam Deus ante saecula
Praedestinavit operi
Tam sacro, tam mirabili.
3. Beata generatio,
Dei condigna filio,
Tam nobilis progenies
Est praedicanda milies.

Responsoria.

1. Mariae reverentia
Monet devota pectora
Eius matri dulcisonos
Congeminare iubilos,
V. Piae conentur animae
Parenti beatissimae.
2. Laetare, mater inclita,
Fecunda tali filia,
Tu magnae munus gratiae
Testaris ipso nomine.
V. *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus.*
3. O quam caris et praeclaris
Arca lignis haec insignis
Est compacta caelitus,
Urnam veram quae gestavit,
In qua partus se locavit
Vitae, Dei filius.
V. O proles pulcherrima,
cella paradisi,
Fructum vitae poscimus
peccatis illisi.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Serviamus Deo nostro
cordis cum laetitia,
Dulcis Annae recolentes
festiva sollemnia,
Cuius prece nobis detur
vita, pax et gloria.

2. Quis ergo nunc de venia
Fiducia carebit,
Cum tam mater quam filia
Rem nominis implebit?

3. O Anna felix, annue,
Ut festa recolentes
Tuae dulcis memoriae
Te videant gaudentes.

Responsoria.

1. O quam iustum atque pium,
Ut per sollemne studium
In omnibus ecclesiis
Mater canatur virginis.

V. *Potens in terra erit semen eius, generatio illius benedicetur.*

2. O nomen honorabile
Huius beatae feminae,
Quod evidenter innuit,
Quare Christus advenerit,

V. *Quando verbum caro factum est et habitavit in nobis.*

3. Funde vinum desolatis,
Phiala laetitiae,
De qua novae desperatis
Rivus fluit gratiae,
Ut de regno claritatis
Detur spes fiduciae.

V. Liberalis liberali
Preces funde sedulas,
Qui paratus est largiri
Satis, plus quam postulas.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex Abrahae progenie
Pontificumque genere,
Ex clara David linea
Prodit haec sacra femina.

2. Haec parit nobis filiam,
Quam replet adhuc positam
Inter materna viscera
Spiritualis gratia.

3. O felix Anna, ditavit
Te Deus dote bona,
Beatam te dicent mulieres,
Quinimmo quique fideles.

Responsoria.

1. O quantis nitet laudibus,
Quae huius mundi fluctibus
Marinum sidus ingerit,
Quo nauta portum invenit;

V. Hoc sidere naufragium
Devitat omne saeculum.

2. O matris summae genetrix,
Quae tantis fulges meritis
Coram summo Domino,
Pro nobis intercedito,

V. Ut post peccati veniam
Nos transferat ad gloriam.

3. Vere beata femina,
Quae singulari gratia
Cunctarum praeit merita
Matrum excepta filia.

V. *Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Adiunge tibi, domina,
Piae natae suffragia,
Nam ipsis comitantibus
Nihil negabit Dominus.

2. Est Anna venerabilis,
Quae maris stellam parturit,
Cuius foventur lumine
In saeculi caligine.

3. Ut gratiam pro gratia
Obtineat ecclesia,
Cum praepollente filia,
Felix o mater, impetra.

4. Magnifici tu germinis
Mater, implora famulis,
Ut gloriam possideant,
Quam tibi datam iubilant.

5. Partus tui cunabula
Credendum est angelica

Servasse ministeria
Pro summi regis gloria.

Ad Benedictus.

A. Gaude, beata genetrix,
Quae tantum donum accipis,
Ut matres omnes alias
Prolis honore praeeas.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Anna, beatae sobolis
Tantique parens germinis,
Quae sublimaris hodie
Regno perennis gloriae,
Sacratis tuis precibus
Caeli nos iunge civibus.

Brev. ms. Montis s. Mariae (?) saec. 13. Cod. Guelfenbyteran. 559. 1 (Helm. 512). A. — Brev. ms. Montis s. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. 170 (Helm. 145. 2). B. — Brev. ms. Montis s. Mariae saec. 14. Cod. Guelfenbyteran. 546 (Helm. 506). C. — Brev. Goslariense imp. Halberstadii 1522. D.

In 1. Noct. **R** 1: Dicamus et Annae, quod dicimus Mariae etc. prosaisch. D. — **R** 2: Dicamus et Annae ABC. — **R** 3: Laetare mater inclita ABC. — In 2. Noct. ABC prosaische **AA**, statt deren aber in BC die obigen am Schlusse nachgetragen sind. — **A** 1: Ex Abrahae progenie etc. D. — **A** 2: Haec nobis parit filiam etc. D. — **R** 1 in D:

R. Est tam benignae filiae
Honor gratus quam maxime,
Parenti quem impendimus,
Uti mandavit Dominus.
V. *Honorem habebis matris tuae*
cunctis diebus vitae tuae.

In 3. Noct. **AA** 1—3 lauten in D:

1. Tu cisterna de Bethlehem,
Cuius aquam sitivit
Rex David in Ierusalem,
Qui de torrente bibit.
2. Tu gloria Ierusalem,
Quae peperisti virginem,
Quae Deum dedit hominem
Naturae praeter ordinem.
3. Annam, vocatam gratiam,
Gratanter invocemus,
Ut datam sibi gloriam
Post gratiam speremus.

R 1: O matris summae genetrix etc. D. — **R** 2: Vere beata femina etc. D. — **R** 3[2], 3 sq. Cunctis excepta feminis D. — **R** 3 lautet in D:

R. In aeterno speculo
Praevisa, sed saeculo
Data senescenti,
Dulcis Anna, sedulo,
Subvenire populo
Prompta sis egenti.
V. Tu gloria Ierusalem,
In gloria locata,
Gentes in miseria
Sustolle manu data.

In Laud. **AA** sind in D mit Ausnahme von **A** 2 verschieden:

1. Gaude, mater praeoptata, Cui sedes in gloria
Ab aeterno est parata Felici memoria.
3. Benedictam benedicat omnis creatura,
Super omnes mulieres cuius genitura
Benedicta Deum prodit in nostra natura.
4. Ad Annam cuncti transeant, Impleri qui desiderant
De generationibus, Quae virgo fuit (!) et filius.

5. O Anna, mater nobilis, Ex te desiderabilis
Est orta Dei genetrix; Esto nobis apud Christum
Pia interventrix.
In 2. Vesp. ad Magn. A fehlt C; O felix Anna ditavit etc. D.

26. De sancta Anna.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Summa laus sit genitori,
Proli quoque redemptori,
Nobis flamen sit solamen,
Chorus dicat Amen, Amen.

Ad Magnificat.

A. Dulcem Christo melodiam
Digne decantemus
Et suavem symphoniam
Ipsi resonemus
Eiusque benignam
Honorificemus
Genealogiam,
Sed prae cunctis laude dignam
Sublevemus
Annam piam,
Quae nobis formosam,
Generosam, pretiosam
Verni paradisi rosam
Genuit Mariam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi Christo iubilemus
Et devoti exsultemus
Ei, qui hodie suam
Piam coronavit avam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Admiretur orbis terrarum
Nomen tuum, Domine.
Cum de profundo tenebrarum
Lux surgit Annae nomine.

2. Caeli enarrant gloriam Dei
Et in fines orbis terrae
Personent ei.
Cum de Iuda exoritur
Anna, mater sanctae spei.

3. Haec consurgit
De generatione rectorum
Et nomen eius
In aeternum vivit,
Nec in morte de sorte
Delebitur electorum.

4. Calamus scribae
Velociter scribentis
Exornet huius [gesta], cuius
Gressus pulcherrimi
Quasi filiae principis
In calceamentis.

5. Tabernaculum Dei
Fluminis impetus laetificat,
Dum Anna legi obnoxia
Prole multa fructificat.

6. Magnus noster Dominus
Magnam magnificavit,
Et coram cunctis regibus
Eam mirificavit.

Responsoria.

1. Decantemus hac in die
Deo laudes harmoniae,
Cum exsurgit de Iudaca
Norma vitae et idea,
Anna beatissima;
V. Sume vota, Iesu Christe,
Quae depromit chorus iste
Mente devotissima.

1. Egreditur rosa de spina
De campis Ierichontis,
Cuius odor est ruina
Et pavor Acherontis,
Nos per eam, Christe, salva
Ab igne Phlegetontis;

V. Iudex ferus dum redibit
Cum caeli senatoribus,
Et hic Iudas interibit
Cum suis fautoribus.

3. Spirans Auster hunc perflavit
Hortum, quem Dei rigavit
Christus sapientia,
Pater dedit incrementum,
Pavent terra, firmamentum,
Et caelorum entia.

V. Florum hortus germinavit
Rosam nec non lilium.
Rosa quoque generavit
Christum Dei filium.

4. Stirpis Davidicae
Tu nobilissima
Proles,
Tres mundo generas
Soles,
O fecundissima
Mater, te pater
Aeternus omnisque
Caeli concentus
Honorat.

V. Terrigenarum
Te conventus
In valle lacrimarum
Detentus
Implorat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Benedixisti, Domine,
Terram hanc benedictam,
Quam de legis opprobrio
Eximis maledictam.

2. Fundata est in montibus
Haec mater generosa,
De Iesu bibens fontibus
Haurit tam gratiosa.

3. Exsultabunt Dei filio
Simul cuncta creata,
Cum de mundi exsilio
Transit haec beata.

4. Exsultet terra
Et insulae laetentur.
Cum haec levatur de pulvere
Ad culmen gloriae,
Hinc angeli Dei iucundentur.

5. Deus in se mirabilis,
Magnus et ineffabilis,
In Abrahae hac filia
Perfecit mirabilia.

6. Felix haec mater
Domini praecepta
Custodiebat et diligebat
Propterea apud eum
Gloriam est adepta.

Responsoria.

1. Anna, gratia vocaris
Iure, quia talem paris,
Quae solem iustitiae
De se caste generavit,
Vere plenum gratiae,
Qui nos reparavit.

V. Beata, quia gratiarum
Ex te fons emanat,
Hic puteus aquarum.
Saucios qui sanat.

2. Anna dicitur donata.
Cui et donavit
Deus dona grata,
Cum eam dotavit
Vere dote bona,
Ut hic eam gratia
Et in futuro protegat
Gloriae corona.

V. Haec est mater sanctae spei,
Quae pro virtute fidei
Accepit bona de manu Dei.

3. Anna, tu veri Samuelis
Castra regens Israelis
Et excludens Ismaelis
Fallentis astutias,
Fundis preces apud Deum
Et extricas Asmodeum
Et eius versutias.

V. Tu Tobiae pie, pia
Ava, praesto sis in via,

Ut a nobis inimicum
Procul pellas impudicum.

4. Vox ab ore, laus de corde
Resultet et exsultet
Omnis homo fidelis,
Cum ab Israelis
Domo homo
Surgit sanctitatis,
Anna, mater honestatis,
Cuius flores in decore
Puritatis, suavitatis,
Fructus in honore.

V. O mater pulchrae dilectionis,
Ex te fons sanctificationis
Prodit, virgo filia,
Quam exora et implora.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Florete, flores, quasi lilium
Et fructificate,
Date
Odorem ac Dei filium
Immensis laudibus collaudate,
Qui Annae matris spiritum
In electorum requiem
Et inter vernantes
Paradisi flores hodie
Feliciter transplantavit.

Responsoria.

1. Arca tu novi testamenti,
Fulgens instar firmamenti,
Omni parte auro tecta,
In te regni virga recta
Manet, o virtutum Anna,
Urnam plenam habens manna
Cum tabulis scientiae.

V. Te perfecit architectus.
Dei natus et dilectus
Manu sapientiae.

2. Clare lucens in procella
Iam de Iacob surgit stella,
Cuius iubar mundo clarum
Lumen fundit, hinc rosarum
Flos pulcherrimus procedit,
Cui spiritus insedit
Vere septiformis.

V. Specular es munditiae,
Cui sol iustitiae
Radios impressit
Imago deiformis.

3. Salve, nobilis virga Iesse,
De qua ortum est praecandens
Lilium convallium,
Quod generavit
Dei filium,
Qui donavit
Omnibus esse.

V. Odor cuius fragrat
Super unguenta pretiosa,
Favum cum melle distillat
Lingua eius gratiosa.

4. Ego quasi terebinthus,
Habens gloriam ab intus,
Ramos meos dilatavi,
Cum Marias generavi,
Trinos flores honestatis.
Eia, mater castitatis,
Ora primam ex te natam,
Gratam cunctis et praelatam,
Utque gratum ex se natum
Oret, ut regnum beatum
Nobis praestet et conspectum
Summae deitatis;

V. Ora patrem, ut per ducem.
Qui redemit nos per crucem,
Nobis orbis reddat lucem.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Induta es a Deo
fortitudine
Et praecincta
pulchritudine
Morum,
Unde tibi praeparata
Est sedes gloriae
In requie
Sanctorum.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
Qui in domo Davidis
Cornu erexit,
Quod in salutem languidis
Et in virtutem pavidis
Ecclesiae direxit,
Cum hanc vere humilem
Misericordiae
Oculis respexit
Ac cum stola gloriae
Palmaque victoriae
Hodie caelis invexit.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Haec cor suum dilatavit
Et ambulavit
In lege Dei.
Ideo ascendit dealbata,
Acsi columba
Esset immaculata.

Ad Tertiam.

A. Multae filiae
congregaverunt
Divitias et delicias
congesserunt,
Tu vero universas
has es supergressa,
Cum hodie regis
cubiculum es ingressa.

Ad Sextam.

A. Super solis
haec radios candidior
Et super stellarum
ordinem lucidior.
Fugatrix tenebrarum

Ad Nonam.

A. De labore manuum
felix ista manducavit
Et de sua penuria
pauperes ditavit,
Ideo cum angelis
regnum hereditavit.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Adest dies novae lucis,
Quo Annae sanctissimae
Spiritum caelis introducis,
Aeterne rex altissime.

2. Aeterni regis aviam
Cuncti veneremur piam,
Quae nobis speciosam
Paradisi rosam
Genuit Mariam.

3. Mulieris huius fortitudinem
quis investigavit,
Quae furentis Holofernis
caput detruncavit
Et gentis suae populum
ab hoste liberavit.

4. Manum suam pauperibus
sapiens porrexit.
Cuius ab alto munera
altissimus respexit,
Nunc vere bene meritam
ad gloriam provexit.

Ad Magnificat.

A. O oliva corde mitis,
O odorifera vitis,
O ditis
Fons et cisterna viva
Bethlemitis,
Exstingue in nobis
Pestifera
Malae sitis.
O caeli manna, Anna
Fructifera
Et insignis, quae gignis
Visceribus dignis
Fructum benedictum,
Omni bono meliorem,
Natam piam,
Omni rosa rosulentiorem,
Praedulcem Mariam.

Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Oenipontan. 542. add. saec. 15. A. — Brev. ms. Cellae Principum saec. 14. Clm. Monacen. 7213. add. saec. 15. B. — Diurn. ms. Cisterciense saec. 15. Cod. Hamburgen. 1571. C. — In 1. Vesp. Super Ps. **A** fehlt AC. — Ad Magn. **A**, 4 Christi resonemus A. — Ad Matut. Invit. 3 suam hodie AB. — Ibid. 4 aviam B. — In 1. Noct. **A** 4, 3 gesta fehlt A B. — **A** 4, 4 pulchri rivi A. — **A** 4, 5 filia B. — **A** 6, 1 Dominus noster A; statt dessen B:

De radice Iesse graditur
Virga, dum gignitur
Ex Anna virgo Maria.

R 1, 1 in hac die B. — **R** 1, 3 Iuda. — **R** 4, 8 omnis quoque B. — In 2. Noct. **A** 1, 4 Exemis A; statt dessen B:

Israeli convenit
Deo benedicere,
Qui de Anna voluit
sibi matrem sumere.

A 3, 1 Lies: Exsultent? — **A** 5 fehlt B; statt dessen:

Deus, super maria
Qui terram fundavit,
Gratiam pro gratia
Annae cumulavit.

A 6, 2 Domini fehlt B. — **R** 2, 3 dona bona B. — In 3. Noct. Ad Cant. **A**, 8 sq. fehlen B. — Ibid. 10 feliciter fehlt B. — **R** 2, 1 Clara A, lucet B. — **R** 4, 11 et beatum conspectum A. — Ad Primam **A**, 6 fehlt B. — Hiezu der Hymnus: Honos Deo dulce melos, Anal. IV, 78.

27. De sancta Anna.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Tu virtutum
es viridarium,
Gratiarum
sacrum sacrarium,
Forma vitae,
morum florarium,
Aula solis,
mannae cellarium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adsunt sanctissimae
Annae natalia,
Coetus laetissime
Pangunt sollemnia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tu rogus es aromatum,
Quo surgit fumi virgula,
Septeno mundi climatum
Odoris vitae baiula.

2. Dei summi filio
Sponsam peperisti,
In cuius conubio
Regnum acquisisti.

3. Te factoris aviam
An matrem dicamus?
Sed utramque gloriam
Digne tibi damus.

Responsoria.

1. Flos candoris,
gemma munditiae,
Carbo lucis,
virtus fragrantiae,
Mater matris
factoris filiae,
Reginae gloriae,

V. Nepotem mitiga
Nostris defectibus,
Proli nos colliga
Cordis affectibus.

2. Matutini
claustrum es sideris,
Nubes solis,
praeventrix muneris,
Excitatrix
torpentis aeris,
Industrix aetheris;
V. Stella maris
ex te resplenduit,
Quae ducatum
marinis tribuit.
3. Iubar offers
mundi caligini,
Caliganti
lucem das homini,
Das reginam
caelorum agmini,
Amictum lumini;
V. In te veri
lanterna luminis
In ducatum
defertur hominis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tu es rosae plantatio
In Iericho campestribus,
De qua rosae floritio
Nostris vernat aspectibus.
2. Mater matris
solis iustitiae,
Nobis lucis,
hosti tristitiae,
Caelo dedit
diem laetitiae.
3. O felix, cuius uterum
Tam felix fructus imbuit,
Per quem fructum mortiferum
Homo gustatum exspuit.

Responsoria.

1. Tu aurora
diei gratiae
Cum Diana
beati luminis
Praevenisti
solem institiae,
Solem lucis
fax gratitudinis;
V. In te dies
nostrae laetitiae
Unit suae
vim pulchritudinis.
2. Tu vallis, ex qua lilium
Iucunditatis germinat,
Quod omnis pestis vitium
Odoris vi disterminat;
V. Germinasti
sacris visceribus
Dei matrem,
solem hominibus.
3. Annae pressae maeroribus
Caelestis ait nuntius:
Tuis sacris visceribus
Stirpem promitto praescius,
Ex ipsa lumen gentibus
Dei nascetur filius;
V. Felix, ex qua
mundi lux oritur,
In qua Dei
thronus exsculpitur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fons amoenitatis,
Anna, et dulcedinis,
Solem claritatis
Fide paris luminis.
2. Parit flos munditiae
Fructum castitatis,
Rivus castimoniae
Flumen pietatis.
3. Tu Sion, qua ponitur
Templum conditoris,
Quo reis suspenditur
Lex mortis, timoris.

Responsoria.

1. De te sumit
Dei progenies,

Mundi virtus,
patris effigies,
Candor lucis,
aeterna species,
Solaris facies,
V. Matrem nostro fastigio,
Sponsam caeli palatio.

2. Tu es lucis
novae diluculum,
In te mortis
umbra confringitur,
Dei matris
dulce cenaculum.
In te vertex
sanctorum alitur;
V. Tu aurora,
quam sol subsequitur,
Sol, quo sponsus
Deus ingreditur.

3. Ros, flos, gemma,
Stella, sol gratiae,
Orbis vita,
sphaera stellifera,
Tu stellarum
virtutum serie
Caelos ornas,
illustras aethera,
V. Gratiarum
immensa specie
Omnis levas
maeroris vulnera.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. O beata sterilitas,
De qua dolor concipitur,
Ex quo prolis fecunditas
Orbato mundo panditur.

2. In sacris visceribus
Sidus concepisti,
Cuius in splendoribus
Nobis illuxisti.

3. Salomonis solium
Es totum auratum,
Per beatum filium
Matri praeparatum.

4. Per te duplex gloria
Nobis est exorta,
Filius et filia,
Lux et lucis porta.

5. Diu tellus languit
Nube cumulata,
Flore divo floruit
Nube dissipata.

Ad Benedictus.

A. Tu es flumen
fiscellam deferens,
Quae latorem
legis circumferens,
Defensorem
oppressis afferens,
Hosti celat,
propinquis offerens.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

Sara pulchritudinis,
Anna pietatis,
Rebecca dulcedinis,
Rachel venustatis
Transfers vi propaginis
Ius sterilitatis,
Paris domum numinis,
Templum maiestatis.

Brev. ms. Mantuanum saec. 15. Cod. Univ. Patav. 734. A. — Offic. ms. Barcinonen. saec. 16. in. Cod. Barcinonen. 1 IV 7. B. — Brev. Barcinonense imp. Barcinonae 1540. C. — In 1. Vesp. fünf **AA** super Ps. (die der Laudes) C; nur eine **A** super Ps. O beata sterilitas B. — C hat in der 1. Vesper noch folgendes **R**:

R. Anna, maris stellae mater, tu crimina pelle,
Quae Iesu Christi thalamum mundo peperisti,
Principium vitae, quo vivunt Israelitae,
V. Ex te namque pia processit virgo Maria.

Ad Magn. **A**, 4 sacrum fehlt B. — Ibid. 8 magni cellarium. — Ad Mat. Invit. lautet in BC:

Actoris gloriae
Laudemus aviam,
Factoris aviae
Cantemus gloriam.

In 1. Noct. **A** 3, 2 matris A. — C hat in dieser Noct. drei dem vorhergehenden Officium entlehnte **AA**. — **R** 1, 1 Filios candoris A. — **R** 1, 4 tu virtus flagrantiae A. — **R** 2, 4 praeventris A. — **R** 3, 5 fehlt B. — **R** 3, 6 caelorum animi B. — **R** 3, 9 lucerna luminis B. — C hat drei dem vorigen Officium entlehnte **RR**. — In 2. Noct. **A** 1, 1 plantationis A. — **A** 1, 2 In fehlt A. — **A** 1, 3 floritionis A. — **A** 2, 6 divinae lactitiae A. — **A** 3, 1 O felix uterum cuius A. — **A**. 3, 4 exparuit B. — Statt der vorstehenden hat C wieder drei **AA** aus dem vorhergehenden Officium. — **R**. 1, 3 sq. fehlen C. — **R** 1, 9 Inter dies B. — **R** 1, 11 Hivit suae B, Ivit C. — **R** 2, 4 Maeroris vitis terminat A, Odoris indisterminat B, Odoris vidi sterminat C. — **R** 3, 6 fehlt B. — **R** 3, 10 tonitus exsculpitur A. — Statt des 3. **R** steht in C: Inclita stirps Iesse etc. — In 3. Noct. **A** 1, 2 Annae duleedinis A. — **A** 1, 4 Fati paris B. — **A** 2, 3 Rivus fehlt A, Ritis B; lies Vitis? — Statt dieser **AA** hat C wieder drei dem vorigen Officium entlehnte. — **R** 2, 7 sq. mentus sanctorum alicui A. — **R** 2, 10 consequitur A. — **R** 3 lautet in BC:

O spem miram, quam dedisti
Iustis et peccatoribus,
Dum Mariam protulisti
Deo, caelo, hominibus,
Imple, mater, quod coepisti,
Nos tuis iuvans precibus.
V. Anna, vere claruisti
Sanctorum in splendoribus,
Omnes opem ferant Christi,
Parce nobis supplicibus.

In Laud. **A** 1, 1 sterilis C. — **A** 2, 3 in fehlt C. — **A** 3, 1 Salomonis solus est B. — **A** 3, 2 fehlt B. — **A** 4, 3 filio B. — **A** 5, 1 Diu tellus elanguit A, Vintellus elanguit B. — **A** 5, 2 tumulata BC. — **A** 5, 3 Flore devio A. — Diese **AA** stehen in C in 1. Vesp., während ad Landes fünf dem vorigen Officium entlehnte eingeschoben sind. — Ad Bened. **A**, 7 zelat A. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 1 Sacra pulchritudinis A. — Ibid. 2 Annae B. — Ibid. 5 Transferens propagis A, Transfers in propaginis B. — Ibid. 6 In sterilitatis B. — Ibid. 7 Panis domum A. — Statt dieser **A** hat C: Virgo semper haec Maria etc. — Hierzu die Hymnen: In 1. Vesp.: Plaudat caelestis curia; in Noct.: Immensae diem gloriae; in Laud: Almi festi periodus. Vgl. Anal. XXII Nr. 46–48.

28. De sancta Anna.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Prima nostrae
salutis gaudia
Sacrosancta
recolat ecclesia,
Sanctae Annae
venerans sollemnia,
Cuius votis
largitur omnia
Christus [Iesus]
cum eius filia,
Sacrosancta
virgine Maria.

R. Anna trino
mundum matrimonio
Dei nutu
ornans ministerio
Trinae prolis
praesentem ecclesiam
Illustravit
et supernam curiam.

V. Sidus Anna
clarum, mirabile,
Sidus pandens
solem iustitiae.

Ad Magnificat.

A. O felix, vere pariens
Caelum trinitatis,
In quo corporaliter
Fons divinitatis
Habitare voluit,
Anna sacratissima,
Nos reos a peccatis
Solvens duc ad patriam
Summae claritatis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

In Christo mirifico
Rege gloriemur,
In Annae vivifico
Fructu iucundemur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Elevatam super caelos,
sollemnem in gloria,
Annam, vocatam gratiam,
invocemus pro gratia.

2. Caeli Dei gloriam
narrant laetabundam,
Signis dum sanctam Annam
praedicant fecundam.

3. Innocentem manibus
Annae mundo corde
Dat Mariam Dominus,
ut mundet nos a sorde.

Responsoria.

1. Ave, radix
Iesse gratissima,
Anna, Mariae
mater sanctissima,
Nos vivifica,
Nam de te nascitur,
De qua vita oritur.

V. Da terris solatium,
Quae caelis das gaudium
Per Mariam et Iesum,
Eius filium.

2. Felix terra,
quae caelum genuit,
Cui se tota
trinitas incubuit,
In quo Deus
hominem induit,
Dum pati voluit.

V. Ex hoc caelo
micat spes virtutis,
Dona fluunt gratiae
et verae salutis.

3. Arca surgit,
quae urnam suscipit,
In qua verum
manna se condidit,
Quod se nobis
ex ea praebuit,
Vitam restituit;

V. Pia mater,
cum pia filia
Isto manna
nos dignos praepara.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Speciosum prae filiis,
Iesum Dei filium,
Natum Mariae virginis,
Annae scimus nepotulum.

2. Laetificat
impetus fluminis
Civitatem
superni luminis
Gloriosis
Annae ex meritis.

3. Anna vocata gratia,
Vas plenum gignens gratia,
Per cuius abundantiam
Caeli fruamur gloria.

Responsoria.

1. Caritatis
confer insignia
Nobis, Anna,
quae digna gratia
Nuncuparis,
da reis veniam,
Rectis corde
praesta laetitiam.
V. Culpae terram
purgasti scoria,
Mira caelos
ornasti gloria.
2. Funde vinum desolatis
Phiala laetitiae,
Ut de regno claritatis
Detur spes fiduciae;
V. Funde preces
pro nobis sedulas
Iesu, qui plus
largitur, quam postulas.
3. Iudith portas Bethuliae
Ingressa cum laetitia,
Fronte trita superbiae
Nos certos de victoria
Sub typo matris gratiae
Reddit et vera gloria;
V. Haec Ierusalem laetitia
Et sanctorum honorificentia.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Novum canamus
canticum laetitiae,
Per quam deletum est
chirographum tristitiae.
2. Sedentibus in tenebris
lux est iustis orta,
Per Annae nepotulum
clausa mortis porta.
3. Viderunt omnes termini
Dei salutare,
Quod per Annae filiam
venit nos salvare.

Responsoria.

1. Paradisi fons
manans e medio,
Se diffundens
grato diluvio,
Annam signat,
terrae solatium
Et caeli gaudium.
V. Fructus vitae colligimus
Ex his paradisi fluminibus.
2. Largitatis
divinae radiis
Insignitos
tantisque suffragiis,
Iesu bone,
Mariae (et Annae) precibus
Semper nos (pie) protege;
V. Accedamus
ad thronos gratiae
Dulcis matris
et piae filiae.
3. Anna trino
mundum matrimonio
Dei nutu
ornans ministerio
Trinae prolis
praesentem ecclesiam
Illustravit
et supernam curiam.
V. Sidus Anna
clarum, mirabile,
Sidus pandens
solem clementiae.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Adest festum laetitiae,
quo rex aeternae gloriae
Sanctae Annae meritis
reis dat dona veniae.
2. Anna Deum sitiens
caelum parturivit,
Quo Deus induit hominem,
qui nos ad caelos adcivit.

3. Ad Annam cuncti transeant,
Impleri qui desiderant
De generationibus,
Quae virgo sunt et filius.

4. Stella sole radiat
omnibus in luce,
Mariam Anna dum genuit
orbis in salute.

5. Templum misericordiae
Patens veneremur,
Annam, ut eius gloriae
Semper collaetemur.

Ad Benedictus.

A. Splendor lucis
vitae perpetuae,
Iesu Christe,
summae rex gloriae,
Sanctae Annae
nos salvans precibus
Caeli laetantes
coniunge civibus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O virgula tam florida,
protulisti fructum,
Rosam pudicitiae
conterentem luctum,
Aquam saporis gratiae
propinasti gratis,
Iesum ora nepotulum,
ut nos iungat beatis.

Brev. ms. Praedicatt. Cremonen. anni 1467. Cod. Casanaten. B VI 5 (1182). — In 1. Vesp. R, 7 Illustrat. — Ad. Magn. A, 1 Lies O felix terra pariens? — In 1. Noct. A 1, 4 per gratiam. — A 3, 2 Anna. — R 3, 6 Ex eam. — In 2. Noct. R 2, 8 Lies donat quam? — In 3. Noct. R 1, 3 sq. Grato se diffundens. — R 3, 4 mysterio. — R 3, 7 Illustrat. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 7 ora fehlt. — Das Versmafs erscheint an mehr als einer Stelle entweder ursprünglich vernachlässigt oder später verdorben.

29. De sancta Anna.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Alma mater Anna, gaude,
Tibi multa digna laude
Inerant ex filia,
Namque dum fit mater Dei,
Te monstrat, quia sis ei,
O felix prosapia,
Cuius germen virga Iesse,
Qua suscepit matre esse
Dei sapientia.

In Nocturno.

Super Psalmos.

A. O quam pulchra propagine
Praefulsit Annae filia,
Deus dum carnis tegmine
Homo fulsit ex Maria.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. O quam dulcis divinitas
Se in Christo exhibuit,
Fecunda dum virginitas
Huic servi formam induit.

Ad Benedictus.

A. O quam felici gaudio,
Anna, gaudes cum filia,
Eius dum dulci filio
Iam frueris in gloria.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Exsultet in gaudio
Spiritus Mariae
Dulci natalitio
Matris Annae piae;
Felix Anna tali prole,
De qua orto Christus sole
Fit nostra redemptio.

Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Olomucen. I VIII 4. add. saec. 15. — In 1. Vesp. Ad Magn. A, 4 matrem. — In Noct. A, 4 Homo dum fulsit. — In Laud. Ad Bened. A, 4 Tam fruens in. — In 2. Vesp. Ad Magn. A, 6 orta Christus; sole fehlt. — Das Officium hat nur eine Nocturn; in Nocturn und Laudes alle Psalmen sub una; das Fehlende de communi virginum. Hiezu die Hymnen: Gaude mater ecclesia (Anal. IV, 77) und: O quam festa felicia (Anal. XXIII, 123).

30. De sancta Anna.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adsunt Annae
grata sollemnia,
Laude dulcisona
plaudat ecclesia.

In 1. Nocturno.

Responsoria.

2. Cordis ac vocis iubilo
Pangamus laudes Domino,
Annae festum cum gaudio
Praesens celebret contio.
V. Suscipe devotae
praeconia, Christe, catervae.
3. Clausit vas Anna,
clausit quod fertile manna,
Vas Ioachim gignit,
quod caelicus ignis inignit,
V. Vas Ioachim finxit,
Domini quod dextera pinxit.

In 2 Nocturno.

Responsoria.

2. Gignit humus spinam
stirps ludae germinat Anuam,
Spina parit florem,
sic parturit Anna Mariam,
V. Ut geminata reis
sint patrocinia nobis.
3. Fulget lux celebris,
qua transit Anna sacrata,
Deliciis crebris
fruitur quae pace beata,
Natam quam tenere
laetari matris honore
V. Qui dubitat temere,
cesset laus eius ab ore.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

2. Auster dat imbrem,
ventum repulit glacialem,
Coniugis opprobrium
Ioachim delevit in aevum,
V. Contra spem sobolis
dum gignit aroma pudoris.
3. Plebs sitit Hebraea,
populo dat pocula petra,
Bis Moysi virga
confestim paruit icta,
Languidus orbis eget
nec quis medicamina praebet,
V. Donec ventre piam
sterilis parit Anna Mariam,
De qua fons crevit,
quo genus omne bibit.

Brev. Sleswicense imp. Sleswici 1512. — Alles Fehlende prosaisch; in jeder Nocturn das erste R prosaisch.

31. De sancto Ansgario.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ludovicus imperator
Dirigit Ansgarium,
Ut sit Sueis legislator
Docens evangelium;
Caeli spargit ex thesauro
Veritatis gratiam,
Ex doctrinae profert auro
Fidei constantiam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Summo regi supernorum
Iubilemus pariter,
Eius laudes et sanctorum
Psallentes sollemniter.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In aetate iuventutis
Crevit cum Ansgario
Decus morum, lux virtutis,
Dei benedictio.
2. Factus frater monachorum
Per virtutes floruit,
Ad conventum supernorum
Se totum disposuit.
3. Primo Danis, tandem Sueis
Fidem Christi praedicat,
Nec formidat, quod haec saevis
Gens se factis implicat.

Responsoria.

1. Ludovico preces ferunt
Legati de Suecia
Et doctores sibi quaerunt
Praedicandi gratia,
V. Doctor mitis, Dei vitis,
Adfertur Ansgarius.
2. Profert verbum vox divina
Radiando caelitus,
Quod procedat in doctrina
Et virtute spiritus;
V. *Praevenisti eum, Domine, in benedictionibus dulcedinis.*
3. Tribulatus ex labore
Bircham tandem attigit,
Quem rex Bero cum honore
Reverenter colligit.
V. *Deduxisti eum, Domine, in via tua et ingressus est in veritate tua, Domine.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pro paganis convertendis
Fervida oratio
Cor accendit et extendit
In doctrinae studio.
2. Monstrat sursum inspirando
Dei revelatio,
Quod procedet germinando
Sua praedicatio.
3. Stans in Bircha per doctrinam
Fideles multiplicat,
Offert pravis medicinam
Et Christum magnificat.

Responsoria.

1. Praefectus regis inclitus,
Fidelis Erigarius,
Totus in fide floruit
Miraculisque claruit;
V. Domum suam magnificat
Et templum Deo dedicat.
2. Benigne Bircham respicit
Dans Simonem pontificem,
Qui lapsos fide reficit
Scandens virtutum apicem,
V. Verbis, factis et moribus
Dat fidem infidelibus.
3. Hunc Simonem vi repulit
Pravorum persecutio,
Nitardum morte sustulit
In fidei martyrio;
V. Vitam duxit feliciter
Hic Nitardus presbyter.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Danis in Sleswik fabricat
Ansgarius ecclesiam,
Fidem Christi fortificat
Rex mitis per potentiam.
2. Illic diversi confluunt
Nationum populi
Et in fide proficiunt,
Deo servire seduli.

3. Hinc sanctus Ripam eligit
Ecclesiamque construit,
Illic fideles colligit
Presbyterosque statuit.

5. Ad augendam fidem Christi
Fratres omnes excitat,
Intra fidem gentes sisti
Deo plorans supplicat.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Missam sibi prophetiam
Audit vir angelicus,
Quod det Sueis caeli viam,
Dux fit apostolicus.

2. Ad Sueones iterato
Missis sacerdotibus
Voto semper astat grato
Pro Dei cultoribus.

3. Tam aetate quam labore
Consumptus Ansgarius
Gravi coepit ex languore
Infirmari fortius.

4. Tandem pellis sola restat
Cum nervis et ossibus,
Totus tamen fervens exstat
In divinis laudibus.

Ad Benedictus.

A. Languidorum multitudo
Suis sanctis precibus
Surgit sana, fortitudo
Daturque debilibus;
Infirmantes adportantur
Ex diversis partibus,
Omnes Christum confitentur
Restitutis viribus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. In extremo terrae sita
Est Sueonum regio,
In pagana sorde trita
Traditur Ansgario,
Per doctrinam quod polita
Fiat habitatio
Christo, qui est lux et vita
Summaque perfectio.

Brev. Upsalense imp. Holmiae 1496. — Die fehlenden Teile prosaisch. In 3. Noct. R 1 fängt poetisch an, verläuft aber prosaisch in einen Vulgatatext: In excelso sedens throno sic ait Ansgario: Audite, insulae, et attendite populi de longe, Dominus ab utero vocavit me. V. De ventre matris meae recordatus est nominis mei. — RR 2 und 3 sind ganz prosaisch. Zum Officium gehören die Hymnen: In 1. Vesp.: Ansgari pater optime (Klemming I, 1); ad Laudes: Vidit puer Ansgarius (Klemming I, 6).

32. De sancto Antonio.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Nunc Aegyptus parens gaudeat
Suae prolis dans beneficia,
Et desertum decore floreat
Antonio praebens obsequia,
Sed Lesatum virtute polleat
Tanti patris fultum praesentia.

R. Virgo, fruens meritis
doctrinae, caelica vitis,
Regula virtutis,
fons, quo fluit unda salutis,
Abba, pater, gaude,
summa dignissime laude,

V. Et memor esto gregis
poscens consortia regis.

Ad Magnificat.

A. Migrat gaudens
pater Antonius,
Mundum linquens
peccati nescius,
Et qui sancte
vixit diutius,
Vivit sanctus
sanctorum socius.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Omnes fratres, convenite,
Festum patris agite,
Nunc exsultemus, venite,
Novo cantu pangite.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Antonius, vir inclitus,
Auditor evangelii,
Studet implere penitus
Sacri normam consilii.

2. Se committens Domino
Contemptis terrenis,
Non curans de crastino
Cuncta dat egenis.

3. Fugiens Antonius
cunctorum conspectum
Asperum et arduum
sumpsit institutum.

Responsoria.

1. Mente prona
studet Antonius
Oboedire
sacris eloquiis,
Cuncta vendit,
dispergit citius
Datque pauperibus;
V. Audit evangelium,
Quod relictis omnibus
Debet sequi filium
Vir perfectus moribus.

2. Expeditus
currit celerius,
Fugit mundum
et quaerit anxius,
Ubi Deo
vacet devotius
Atque iucundius;
V. Ad remota
loca confugiens
Vitat notos
secretum cupiens.

3. Dum virtuti
se totum dederat,
Perfectorum
mores considerat,
Filiorum
dictis obtemperat,
Quos doctos noverat;
V. Servum gratis
se cunctis fecerat,
Audit omnes,
inter quos aderat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctorum, quos noverat,
Fungitur consortiis,
Quos instructos sciverat
Divinis eloquiis.

2. Fit in brevi tempore
Sanctitatis vasculum
Fitque degens corpore
Virtutum vehiculum.

3. Hostis videns
fremit et eiulat,
Nunc adversis,
quae menti baiulat,
Mente pungit,
promissis stimulat.

Responsoria.

1. Sanctitatis
ascendens culmina
Virtutumque
decore floridus
Perfectorum
decorat agmina,
Vita castus,
exemplo fulgidus,
V. Veritatis
ostensor lucidus,
Exstirpator
errorum rigidus.

2. Hostis motus invidia
Virum ad alta scandere
Sua studet versutia
Sanctum ad ima trahere,

Mollit, terret per varia,
Volens sic iustum vincere;
V. Importunus
obstat Antonio,
Ut vel gratis
vincat vel taedio.

3. Christus, custos Antonii,
Cum venit ad spectaculum,
Quo fervent hostes impii
Et eius caedunt famulum,
Tunc divini subsidii
Lux effugat crepusculum,
Illustrat habitaculum;
V. Gaudet Christus
cernens Antonium,
Gloriosum
victorem hostium.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Antra petit eremi
functus victoria,
Ubi tela daemonum
confregit omnia.
2. Tunc desertum floruit
Floribus virtutis,
In deserto patuit
Doctrina salutis.
3. Post haec carne solvitur
Culpis absolutus
Et Christum consequitur,
Quem fuit secutus.

Responsoria.

1. Felix pugna,
felix victoria,
. . . .
felix constantia,
Qua felici
potitur gloria
Antonii
perseverantia.
V. felix virtus
et felix gratia,
Quae tot sanctis
praebent auxilia.
2. Signis valet
et verbis proficit,
Iugo Christi
quam plures allicit.
Morbos pellit
et hostes eicit
Et procul abicit:
V. Iustum sic Christus perficit,
Prorsus in nullo deficit.
3. Post labores eximios
Et quam plura certamina,
Post triumphos egregios
Transit ad caeli lumina,
Post se relinquens filios
Caelestis vitae germina;
V. Migrat decus munditiae,
Exemplum paenitentiae,
Divina cernens lumina,
Stola dotandus gemina.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Adest dies celebrandus,
Quo beatus Antonius
Caelum migrat laureandus,
Dux monachorum praevius.
2. Non instructus literis
Vincit sapientes,
Huius mundi miseris
Moribus haerentes.
3. O quam digne disputat
Veritatem firmans
Et errores amputat
Simplices confirmans.
4. Multa futura sentiens
Plura nuntiavit,
Tandem ad finem veniens
Caelum subintravit.
5. Pauper in divitiis,
Sed dives in gratia,
Copiosus praemiis
Conregnat in gloria.

Ad Benedictus.

A. O Antoni,
rerum abiectio,

Fratrum amor,
carnis afflictio,
Mens devota,
morum religio
Te confirmant
in regni solio.

Consulator
sacri consilii
Et verborum
pollens facundia,
Ad te tui
suspirant filii,
Quorum memor
nunc sis in patria,
Ut sint tui
in Christo socii.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Antoni,
fulgens munditia,

Brev. Paulinorum imp. Venetiis 1540. A. — Diurn. ms. Paulinorum saec. 15. Cod. Gottwicen. 439. B. — In 1. Vesp. Super psalm. R, 5 Alba pater B. — In 1. Noct. A 3, 1 u. 2 umgestellt. — In 2. Noct. A 1, 2 consortio. — Hiezu die Hymnen: In 1. Vesp.: Nova procul et vetera (Anal. IV, 86); ad Noct.: Laudes promat Antonio (Anal. XXIII, 125); ad Laudes: Corda iungant astantium (Anal. XXIII, 125).

33. In Inventione s. Antonii.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gaudeat ex toto,
pari se celebret seu voto
Orbis terrarum
tantum claruisse thesaurum,
Per quem languentes
ad eum palam venientes,
Cum sint devoti,
liberantur pondere loti.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus creatorem,
Antonii qui splendorem
Hodie splendidiorem
Claruit Theophilo.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Exsultemus
omnes in Domino,
Quia praesul
vere Theophilus
A Caesare
missus divinitus
Antonium,
Aegypti nobilem,
Hodie sollemniter
Meruit invenire.

2. Daemones in Sophia,
Constantini filia,
Testabant dicentes,
Quatenus Antonium,
Cultorem egregium,
Sentirent dolentes.

3. Inventionis modernae
Laetetur ecclesia,
Praestet nobis hinc aeternae
Christus vitae gaudia.

Responsoria.

1. Gabriel angelus
Locutus est Caesari
Dicens: In Aegyptum
Mitte Theophylum,
Inquit, pontificem
Cum Fratrum cuneo
Bis sex peritorum,
Ut inquirentes
Locum experiant,
Gloriosus in quo
Pater Antonius
Eremiticam
Duxerit eius vitam;

V. Vult namque Dei filius,
Quaerendus sit Antonius
Ad fugandum daemonia
Septem, quae sunt in Sophia.

2. Cum Aegyptum visitassent
Misso Theophilo
Viri fratres tantique
Thesauri super negotio
Totis laborassent
Viribus innitendo,

V. Tandem cum lacrimis
Orando Dominum
Simul ad eremum
Iter per asperum
Viam arripiunt.
Sicut erat futurum.

3. Sincerus cum eremita
Silvis latitasset ita
Fundans habitaculum,
Plures in quo residentes
Fratres Deo servientes
Evitassent saeculum.
Quorum ex eremi more
Nullo excepto priore
Loquitur vocabulum,
Pontifex cum introisset,
Disciplinam hanc vidisset,
Benedixit Dominum.

V. Viri secum literati
A priore salutati
Sequuntur Theophilum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum binae tumulum ferae
Sancti sine crimine
Foderent, terra replere
Praesul vidit, lumine
Angelos autem gaudere
Super corpus nobile.

2. Adferentes corpus sacrum
Pontifex cum fratribus.
Mirifice decoratum
Angelorum vocibus,
Ad eremum assignatum
Redeunt cum laudibus.

3. Praesul eremi contentus
Suis cum notitia
Tam prioris quam conventus
Claustri sub silentia
Thesauro cum pretioso
Festinant a patria.

Responsoria.

1. O Christicola venerabilis,
Antoni, stirpe nobilis,
Quantam tibi Deus
Contulit gratiam,
Nam ad nominis gloriam
Sacrum et immaculatum
Corpus tuum
Episcopo Theophilo
Signis cum fulgentibus
Hodierna die
Largitus est invenisse.

V. Ecce signa, quae monstrantur
A thesauro nobili:
Mortui resuscitantur
A morte terribili,
Et daemones effugantur
Ad salutem populi.

2. In Aegypti praesul regno
Beatorum corpore
Signum dans more paterno
Campis vel itinere
Sedet a castro remote
Quondam, a quo populus
Daemonum audita voce
Tam servus quam dominus
Exeunt arma gerentes
Ad terrorem hostium;

V. Daniel male tractatus
Fremens a daemonio,
Sanctum invocans, curatus
Plebis est in medio.

3. Inde castri coram clero
Nuntiat familia.
Lupi quatenus pro vero
Nuper animalia,

Vitulos, capras et oves,
Pueros et omnia
Devorant simul et boves
Intra villae moenia.
V. Sancto tamen imperante
Lupis prosternentibus,
Domino cooperante
Vitam reddit omnibus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Antonium exclamabant
Voce magna daemones,
In saeculum qui vexabant
Tam fortes quam debiles,
Dicentes: o eremita
Valde venerabilis,
Quare nos comburis ita?
Parce nobis miseris.
2. Via, qua pertransierunt
Ferentes Antonium,
Mortuos tres invenerunt
Devoratos nimium,
Super quos deposuerunt
Sanctum corpus proprium,
Unde sani revixerunt
Eius per auxilium.
3. Daniel arte ligatus
Daemonum in carcere
Audiens haec, quod beatus
Potens fertur opere,
Currit nimis anxiatus
Sanitatem poscere,
Obviando liberatus
Fit ab omni pondere.

Responsoria.

1. Puer quidam habens patrem,
Effron cuius nomen est,
Infra regni civitatem
Suspendi damnatus est,
Cum autem foras exiret
Ductus ad patibulum,
Invocavit, ne periret,
Sanctum Dei famulum,
V. Cumque iam suspenderetur,
Sancti patris meritis
Puer vivus obtinetur
Cum capillis capitis.
2. Ierusalem cum intrassent
Praesul et discipuli
Navem nec non procurassent
Thesauro tam nobili,
Super mare collocati
Recta navigant via,
Licet forent occupati
Multa per contraria.
V. Gratia tandem divina,
Meritis Antonii,
Ad urbem lapsa ruina
Remigant Constantii.
3. Glorioso patre viso
Constantino praegaviso
De puella, sequitur,
Quod, cum catenis ligata
Membra tangeret beata,
Soluta relinquitur,
V. A malignis liberata
Locumque perosculata
Sapienter loquitur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ante trinitatis thronum
Pastorem eremi bonum
Christus hunc instituit,
Cuius sacrum corpus lotum,
A tumulo nunc amotum
Theophilo claruit.
2. Constantinopoliae
Tuae Caesar profuit,
Gaude, cuius filiae
Salutis lux floruit.
3. Modernam inventionem
Sancti patris ad honorem
Sollemniter celebremus,
Ut pro nobis apud Christum
Intercedat regem istum,
Quem frequenter adoremus.

4. O quam decorus et pius
Est beatus Antonius,
Ex odore cuius sacro
Terra fragrans fit in agro.

5. Hic cultor inventus est,
Hymnis honoratus est,
Cum angelis visus est
Hodie, laetemur.

Ad Benedictus.

A. Summi patris in gloria
Iubilemus Antonio,
In hac cuius ecclesia
Celebratur inventio;
Laetetur ergo patria
Multiplici prae gaudio,
Cunctis ut vitae venia
Sit eius ex officio.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Tanti pastoris,
eremitae cordis et oris
Mundus laetetur,
inventio celebretur,
Sed nimio zelo
veneretur corde sereno,
Ut consolamen
praestet Deus populo. Amen.

Brev. ms. Minorum saec. 15. Cod. Dolen. 34. — In 1. Vesp. ad Magn. **A** 5 quem fehlt. — In 1. Noct. **A** 3, 3 nobis in aeternae. — In 2. Noct. **A** 1, 3 terraque. — **A** 1, 5 Angelus. — In 3. Noct. **A** 3, 3 quid beatus. — **R** 3, 1 patre iulo. — **R** 3, 8 Locum praeosculata. — In Laud. **A** 2, 2 Tuae Caesar filiae. — Hiezu die Hymnen: Anal. IV Nr. 153 und 154. — Der Text ist an manchen Stellen so verderbt, dafs jede Heilung unmöglich schien; so namentlich **A** 2 in der 1. Vesper. — Verbreiteter ist ein anderes prosaisches Officium dieses Heiligen, das aber eine poetische Antiphon ad Magn. und ein ebensolches Invitatorium hat (vgl. z. B. Brev. ms. S. Crucis in Austria 320. saec. 14. und Clm. Monacen. 366. saec. 15.):

A. Dies ista celebris,
Nostris orta tenebris
Post mundanae vitae curas,
Post labores et pressuras
Inclitum Antonium
Caeli super solium
Ad vitam parturiit.

Invitatorium.

Iubilemus voto pari
Deo nostro salutari,
Qui cum angelis laetari
Contulit Antonio.

34. De sancta Apollonia.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificavit animam
Virginis cantantis
Christus, suum dominum
Digne collaudantis,
Per quam fidem ecclesiae
Servet militantis,
Laetatur et exercitus
Chori triumphantis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem caelestis curiae,
Vexillum Apolloniae,
Quam summae duxit gloriae,
Venite adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. O martyr Apollonia
Cum magnificentia
In caelis es elevata.

2. Sancti soror Laurentii,
virgo gloriosa,
In sole fixit tabernaculum
martyr gratiosa.

3. Innocens manibus
Virgo, Deo grata,
Ignis in caloribus
Fuit cruciata.

Responsoria.

1. Creatrix et deica
lux et increata,
Relativo radio
characterizata,
Martyr Apollonia
quam fide formata
Recognovit iugiter
poenis lacerata,

V. Nobis iam fidelibus
sit praeconizata,
Cunctis in articulo
mortisque clamata.

2. Cyrillus Christi virginem
affectans violare,
Quam precibus et pretio
promisit se dare,
Sed velut polus arcticus
immobilis constare
Se fixit Apollonia
pro Deoque certare,

V. In quo tyrannus nequiter
decrevit conspirare,
Corpus eius praecipiens
Gaio laniare.

3. Felix et ingenua
virgo flagellata,
Carceris ergastulo
diu mancipata
Ac ibidem poenae
famis deputata,
Diem post trigesimum
est liberata;

V. Haec refecta caelitus
sicque confortata,
Ut nil appareret,
quin sit sanata.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Eructavit cor devotum
Verbum bonum, non remotum
A Dei iustitia,
Huius gemma pretiosa
Sponso suo gratiosa
Fidei constantia.

2. Deus noster, refugium,
Virtus et adiutorium
In tribulatione,
Deduxit Apolloniam
Ad fidei constantiam
In concremationc.

3. Fundamenta montium
Deum contemplantium
Sanctis deputata,
Nunc regnat in aethera
Ibique elevata.

Responsoria.

1. In Babylon de Iudaea
Per capillum capitis
Danieli ferebatur
Habacuc,
Ex ineritis Apollonia
Per capillos suspensa
Cerniturque illaesa,
Sic evasit poenas
Baal militis.

V. Diem festum celebrantes,
qui Deum diligitis,
In honore sanctae,
sicque salvi eritis.

2. O quam probat sanctam Dei
labiorum sectio,
Sospitati dat et aegros
dentium excussio,

Immanis perfidorum
atque malleatio,
Dum ab ea fit confessa
fidei religio;

V. Virgo Christi sic cucurrit
in praesenti stadio,
Ut nunc sanctis societur
triumphali bravio.

3. Igni virgo deputata,
Sed in nullo concremata
Fit Messiae gratia,
Quam dilectam tunc vocavit
Et cum sanctis coronavit
In caelesti patria,
Ignis ictu excaecata
Gens exspirat et prostrata
Cyrilli potentia;

V. Cuius pater hoc edicto
Deo nostro derelicto
Ductus est dementia.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cantate cuncti noviter
In terra habitantes
Hoc festum Apolloniae
Devote celebrantes.

2. Lactentur terrae et insulae
Cum Deo regnante,
Triumphum Apolloniae
Condigne praemiante.

3. Cantate novum canticum
Miranda facienti,
Qui nefas malleantium
Destruxit vi potenti.

Responsoria.

1 Corpus sanctae virginis
manens inhumatum
Lupis est et canibus
statim deputatum,
Noctis in silentio
sed fuit furatum,
Per matronam cautius
in cista collocatum,

V. Quod metu disposuit
Lugduni translatum,
Ut ibidem merito
foret tumulatum.

2. Refulsit sol in clipeos
aureos colore,
Quo fortitudo gentium
sternitur timore,
Sic sol in Apolloniae
iustitiae decore
Fulsit inardenter
ducta Dei amore,

V. Ac mens principatuum
concutitur pavore,
Dum in eis obviam
habet in maerore.

3. Turbae pavent gentilium
Dum vernat sicut lilium
Laus virginis beatae,
Quae passa fuit hodie
Pro fide regis gloriae
Monte Thabor translata;

V. Sit deprecatrix veniae
Flos rubens Alexandriae
Pro nobis indilate.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Deus regnans, Dominus,
indutus decorem
Nobis huius tribuat
virginis amorem.

2. Iubilate, terrae
omnes inquilini,
In honore sponsae
foederis divini.

3. Deus, qui me lotam
post lucem vigilantem
Ac pro tua pietate
salvasti fluctuantem,
Salva plebem
hoc festum celebrantem

4. Benedicant opera
Dei creatorem,

Qui dat Apolloniae
sanare languorem
Dentium, fidei
fit hoc ad decorem.

5. Laudent Deum fluctuantes,
In procellis naufragantes
Ex terroris pulsibus
Et ad litus remeantes,
Corpus huius deportantes
Sanctis suis precibus.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Israelis
Deus adoretur,
Corpus Apolloniae
qui Thabor tuetur
Illicque cotidie
Languidos medetur,
Sibi laus et gloria
sine fine fundetur.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificat anima
mea iam salvatorem,
Sic cuilibet catholico
qui robur et vigorem
Porrexit Apolloniae
per fidei fervorem,
Dum hac die martyrii
adepta sit virorem.

Brev. ms. Carmeli Bambergen. anni 1467. Cod. Bambergen. Ed VII 25. — In 1. Vesp. ad Magn. 3 Istius suum dominum. — Ibid. 4 fehlen zwei Silben; digne ergänzt. — In 1. Noct. R 1, 1 Creatrix et desia. — R 1, 9 Nobilis iam. — R 2, 12 Gayo. — In 2. Noct. A 1, 4 gemme. — R 2, 2 Et virtus et. — R 1, 5 Apolloniam. — R 1, 6 suspensam. — R 1, 7 Cernitusque illaesam. — R 2, 3 Hospitari dat et. — R 2, 6 atque ergänzt. — R 2, 11 sociatur. — In 3. Noct. A 1, 1 cuncti ergänzt. — A 2, 4 praemiantem. — R 3, 2 vernavit. — R 3, 6 Thabo. — In Laud. A 2, 3 tantae sponsae. — A 5, 3 Exterioribus pulsibus. — A 5, 6 tuis. — Ad Bened. 4 Thabo.

35. De sancta Apollonia.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Exsultat ecclesia,
Plaudat caelestis curia,
Quod hortus deliciarum,
Liliorum et rosarum
Ornatus est decenter,
Et sponsus sponsam floribus,
Balsami odoribus
Perfragrat reverenter,
Dum castitatis lilio,
Passionis martyrio
Apollonia ornatur,
Cuius per suffragium
. . . . . .
Prorsus evacuatur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem, virginum Dominum,
Venite adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Admirabile nomen Domini,
Quod sacratae virgini
Apolloniae cum angelis
Coronam praebet in caelis.

2. In sole tabernaculum
Suum aedificavit
Haec virgo, dum cor thalamum
Christi praeparavit.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

3. Innocens virgo manibus
Respuit malitiam,
Verbis non inanibus
Suadens pudicitiam.

4. Speciosus prae filiis
Deus hanc amavit,
Qui rosis et liliis
Virginem stipavit.

5. Deus de eius medio
Cordis non movebatur,
Nec virgo fracta taedio
Mori subtrahebatur.

6. Fundamenta in montibus
Posuit, quam dilexit,
Sion Deus virtutibus
Laetanter hanc invexit.

Responsoria.

1. Imperatoris Decii
Tyrannide vigente,
Per diversa supplicii
Genera irruente
In vulgus Alexandriae,
In sanctos acerrime,
V. Sancti mactantur,
calamis oculi terebrantur.

2. A ministris diaboli
Beata Apollonia
Ad tribunal domini
Ducitur inviolata,
Parvipendens verbera
Et probra irrogata;
V. Ut mitis agna
pertulit supplicia magna.

3. Iudex hanc castam virginem
Blandis verbis hortatur,
Adoret ut imaginem
Iovis, poenam minatur,
Sed haec virgo Christiana
Idola despexit vana.
V. Daemoniis plena
haec sunt, ait virgo serena.

3. Fit tumultus populorum
In virginem clamantium,
Quod vasa daemoniorum
Esse inhabitantium
Idola protestatur,
Quod orbem tormentatur;
V. Morte condemnatur
nec virgo sic superatur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Annuntiate, gentes,
Gloriam Apolloniae,
Quarum sanavit mentes
Pio medicamine.

2. Viderunt omnes populi
Patrata mirabilia,
Quae Deus, auctor saeculi,
Gessit in Sion filia.

3. In conspectu Domini
Iubilet sanctorum
Contio, quod virgini
Lux orta est iustorum.

Responsoria.

1. Praeses iubet, ut furentes
Paganorum populi
Apolloniae tunc dentes
Excutiant sic singuli.
Sed Christi virgo nobilis,
Fide stat immobilis,
V. Mente Deo tota
reddens Christo sua vota.

2. Rubens os virgineum
Forcipibus gravatur,
Mandibula dentium
. . . annullatur,
Abhorrent gentium mentes
Gingiaas cruore fluentes;
V. Haec pro te pia
virgo fert Apollonia.

3. Horrent hanc videre gentes,
Quod sanguinis profluxio,
Nec ob hoc protrahunt mentes
Ab erroris invio.
Ut collaudent nomen Christi,
Vincere qui dedisti.
V. Sed magis insania
fremuit gens mente profana.

4. Sedatur nec sic iudicis
Procacitas . . . .
Nequam iracundia
Facit edictum sceleris,
V. Sanctaque Apollonia
Incendiis tradatur
Et viva comburatur.

In 3. Nocturno.

Responsoria.

1. Minantur incendia,
Se vivam concremari,
Nisi cum malis impia
Verba velit profari,
Paulo virgo deliberans
E manibus prorupit
Et ad ignem adcelerans
Mori pro Christo cupit.
V. Mortua pro Christo
regno praemiatur in isto,
Ubi non sunt minae,
sed quies et pax sine fine.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. In altis habitans,
terram Deus, aethera firmans,
Firmat Apolloniam,
facie radiante decora.
2. In hymnis iubila,
plebs sancta, cum Apollonia,
Dulcisona quae suo
pangit nova cantica sponso.
3. De luce vigilans,
Deus, ad te, ludibria calcans,
Virgo serpentem
iudicem vicitque furentem.
4. Dentibus excussis
et membris omnibus ustis
Astra Dei veri
petit Apollonia caeli.
5. Ignis nec aestus
dentium frangorque molestus
Non variant mentem
pro Christo sic patientem.

Ad Benedictus.

A. Benedictus sit Dominus,
Qui Apolloniam
De inimicis tribus
Ferre fecit victoriam,
Corpus conservans pudicum
Virtutibus ornabat
Veteremque inimicum
Et idola calcabat,
Mundi fastum et decorem
Sprevit et iudicis furorem
Dentium excussione
Rogumque intravit,
Christo hostiam litavit
In ardoris passione.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Apollonia beata,
Quae per dentium tormenta
Et per ignis supplicium
Transis ad aeternam vitam,
Stolam sumens redimitam,
Choros sanctarum virginum;
Tu cuncta mala gentium
Propitia exclude,
Aufer dolorem dentium.
Nos, apud Deum stude,
Ut post vitae miseriam
Intremus caeli curiam.

Brev. ms. Murense saec. 15/16. Cod. Araugien. M 9 fol. — In 1. Noct. A 2, 3 Haec virginum dum. — A 3, 4 Sordens pudicitiam. — A 4, 1 Prae filiis hominum. — A 5, 3 facta. — R 1, 3 suppliciorum — R 1, 5 Vulgo Alexandriae. — R 1, 8 oculi tenebantur. — R 2, 5 verba. — R 2, 7 sq. agnus pertulit supplicia crudelia atque magna. — R 3, 2 virgine. — R 3, 7 contemnatur. — In 2. Noct. A 1, 1 Annuntiante. — R 1 auch in der 1. Vesper. —

R 2, 7 virgo pia. — R 3, 3 Nec ab hoc. — **R** 3, 4 Ab erroris in divino. — **R** 3, 8 gens a mente. — Diesen **RR** gehen drei andere prosaische voraus. — In 3. Noct. Ad Cant. **A** prosaisch. — **R** 1, 7 Et fehlt. — In Laud. **A** 1, 4 radiente. — **A** 3, 4 vicitque iudicem furentem. — **A** 4, 3 fehlen zwei Silben; veri ergänzt. — Ad Bened. **A**, 11 excussionem. — Ibid. 13 Christi.

36. De sancta Apollonia.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Regia ex prosapia
Refulgens Apollonia
Ovans rerum inopia
Caelica fert stipendia,
Quam gignit Alexandria.

2. Quae rorem sugens pneumatis
Subtraxit cultum idolis,
Affirmat pacis foedera
In Deo experienda.

3. Stupore nullo terretur
Nec blandimentis laeditur
Fides inchoata,
Crucifixum praedicat
Et opibus renuntiat.

4. Rutilabat facie
Nimium decora,
Largitorem gratiae
Flagitat sonora
Prece, ut intrepida
Vincat criminosa.

5. Mortis gustat calicem
Virgo generosa,
Ad caeli migrat apicem
Martyr animosa,
Praepolitis moribus
Castis iuncta amplexibus.

R. Surge, Apollonia,
Oppressorum onera
Supplici oramine
Alacriter alleva.
Nostra te suspiria
Pulsant adiutricem,
Fuga quaeque noxia
Et Stygis merge picem;

V. Gaudet tua praesentia
Tota caeli curia,
Et tua sublimatio
Est nobis gratulatio.

Ad Magnificat.

A. Ave, pietatis oliva
Ave, castitatis
amatrix sedula,
Ave, martyr triumphalis,
Venustatis mirificae,
Lucerna ad instar carbunculi
Mundi per climata
Coruscans, gemma pretiosa.
Ave, rosa puritatis,
Sancta Apollonia,
Nostrum statum pravitatis
Dissipa
Per tua suffragia,
Ut huius vitae
In procella
Contraria
Salutis bella
Vincere cum gloria
Valeamus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum, solem iustitiae,
Cum Apollonia intuentes,
Ut noctem maestitiae
Pertranseuntes
Auroram gratiae
Vigilantes praestolemur,
Iubilantes laudibus
Deum adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nomen tuum admirabile
Ore virgineo praedicatur,

Domine, dum Apollonia
Vero exercitio
Floret in urbe Alexandria.

2. In omnem terram provehitur
Felix eius memoria,
Clara orta prosapia
Deum fatetur idola
Spernendo vaga.

3. Quis iste rex est gloriae,
Palmam qui victoriae
Contulit Apolloniae?
Quae carnis iura domitans
Montem conscendit Domini,
Anhelans ad caelestia.

Responsoria.

1. Nobilis Apollonia,
Egregia
Orta ex progenie,
Flagrat Dei amore,
Balsamato pneumatis
Perfusa rore.

V. Insignis virtutibus
Mundi opibus
Renuntians vana
Et gaudia spernit.

2. Idolatriae
Tradita cultui
Inclusa virgo beata,
Sed idolo dissipato
Aurum miseris
Distribuit catervis.

V. Sunt, inquit, haec daemonia,
Pater, tua idola,
Unum crede Deum
Colendum.

3. Turbato spiritu
Virginis admiratur
Pater industriam,
Quam audiens in cruce
Domini gloriari
Iussit eam acriter
Virgis verberari;

V. Quae caedis invicta flagellis
Praedicat ferventius
Christum adorandum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dilexisti iustitiam,
Virgo beata,
Odistique malitiam
Christo dedicata,
Ab intus regis purpura
Gaudes decorata.

2. Venite et videte
Martyris athletae
Victoriam mirandam,
Quae sibi refugium
Ponit Dei filium,
Pneumatis industria
Redolens ab infantia.

3. Solis ardore
Inflammata caelitus
Fundamentum
Radicat montibus
In altissimis,
Quo pace
abundans habitat,
Mundi ritu
spreto saevissimi.

Responsoria.

1. Ad certamen accersitur
Virgo generosa,
Sapientum philosophia
Inani non perturbata,
Solvit obiecta
Spiritus munimine,
Quos fidei professores
Martyrii sub serto
Dirigit ad caelos.

V. Ad quorum fidei consensum
pater inflatur,
Pudet scientiae succumbere
exercitum
Quosque furibundus
tradidit iugulo.

2. Bis sex virginibus
nititur applicatis
Hanc pater ad cultum
trahere vanitatis.

Quibus tandem baptizatis
Pari voto quaeritant
Veritatis limina ;
V. Clamant omnes pariter
Christum venerandum.

3. Matrona quaedam Burgundiae
Dentium dolore
Multo tempore
Erga partum dissipata,
Supplici rogatu
Flagitans Apolloniam,
Ut sanitatis remedium
Recuperet per eam,
V. Mox adest consolatio,
Nam dentium reparatio
Petentem replet gaudio.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nil territa supplicio
Nec cutitur flagitio,
Sed fatur constans animo
Deos esse daemonia.
Sunt, inquit, haec immunia
A gratiarum munere,
Dat, qui creavit omnia,
Languentibus antidota.

2. Rectis corde
laetitia oritur,
Abundans noctis
decrescit maestitia,
Dum virgo Apollonia
Praedicat salubria.

3. Iubilate
Deo, omnis terra,
Hymnizate
laudis cantica,
Psalterium
iucundum cum cithara
Frequentate
voce altisona
In Apolloniae memoria.

Responsoria.

1. Convivis discumbentibus,
Quos dulcis memoria
Fovit Apolloniae,
Puritatis irritator
Sub pietatis specie
Intrans domum hospitae,
Dolo latenter subnixus,
Infantulum quendam misere
Tradidit ustioni,
Cuius fraudis inscia,
Cura peregrinos sollicita,
Singula egentibus
Mater dolore
tacta intrinsecus
Gaudens ministrabat.
V. Tandem facti veritas,
Dei providentia
Ossibus pueruli
Repertis, lacrimose
Promulgatur singulis.

2. Quo audito
dolor inaestimabilis
Cor maternum concutit
Et membris infantis
Stricta fascia colligatis
Cucurrit sitibunda
In basilicam virginis
Apolloniae,
Petens lacrimarum imbre
Defunctum sibi restitui.
V. Audita est deprecatio
Mulieris sedula,
Usa Dei solatio,
Revixit puer ut antea.

3. O ferventis caritatis vernula,
Sancta Apollonia.
Castitatis cellula,
Virtutum floribus stipata,
Suscipe cum iubilo
Supplicum precamina,
Dele facinora,
Quae aethereo tripudio
Coruscas amicta.

V. Tuo obtine precatu,
Ut lentis donetur
Sanitas mentalis,
Liberemur a malis,
Calor et amor
Crescat in nobis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudemus salvatorem omnium,
Qui vineam suam sanctorum
Per prodigia
Fructificavit varia.

2. Beata Apollonia
Hostis versutias,
Mundi spurcitias,
Caelibatus flore dotata,
Sprevit ut sordida.

3. Amoris brachiis
Christum amplectitur,
Renuit consolari
Mundi in deliciis,
Quas plenas fatur vitiis.

4. Praebet solatia
Matri desolatae,
Grata dum convivia
Aguntur delicate,
Suscitat infantulum
Temere ablatum.

5. Agnum sine macula
Morte pretiosa
Comitatur tenera
Virgo speciosa,
Propter Christum decollatur,
Ipsa a quo laureatur.

Ad Benedictus.

A. Benedictus rerum omnium
Conditor magnifice,
Qui sexui femineo
Palmam victoriae contulisti,
Ut sancta in Apollonia
Dedisti cernere,
Quae mortem perdens,
Vitam reperiens
Migrat ad caelestia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pater misericordiae,
Cuius gratia
omnia subsistunt,
Fons immensae pietatis,
Cuius liquor terram
fructificat aridam,
Miserere peccatorum
oneribus gravatis,
Tibi enim soli peccavimus
Et mala coram te fecimus,
Largire supplicibus tuis
Lumen visitationis tuae,
Ut iter ducens ad vitam
attingamus,
Suffulti beatae Apolloniae,
Martyris tuae suffragio,
Plena corporis et animae
Sanitate concessa
Gaudia siderea
possideamus.

Brev. ms. Onolsbacense saec. 15. Cod. Wirceburgen. Mch. o 3. A. — Brev. ms. Patavience saec. 15. Cod. Donesching. 315. B. — B hat nur die **AA** und das **R** der 1. Vesp. und eine **A** ad Magnif. Alles übrige de Communi. — In 1. Vesp. **A** 1, 5 Quam carne gignit AB. — **A** 2, 3 foedera fehlt B. — **A** 4, 1 Rutilabat fame B. — **A** 4, 2 decore B. — **A** 4, 4 Flagrat B. — **A** 4, 5 ut fehlt B. — **R**, 9 Gaudet tua de AB. — Ibid. 12 Est nobis tua B. — Ad Magn. **A** lautet in B.:

Christi virgo egregia
Pro nobis, Apollonia,
Funde preces ad Dominum,
Ne pro reatu criminum
Vexemur morbo dentium.

37. De sancta Apollonia.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Fulget dies laetitiae,
Qua virgo Apollonia
Olympum scandit gloriae,
Nova crepant praeconia.

2. Aether gaudens citharizat,
Promit odas dulcedinis,
Cosmus plaudit, tympanizat
Ad decus huius virginis.

3. Haec est enim, quae nescivit
Thorum in delicti sorde,
Carnis luem, en, sopivit
Insons mente, casta corde.

4. Oleum quippe caritatis
Sua lampade gessit satis,
Quod ubertim effudit gratis
In iuvamen proximatis.

5. Tua nobis patrocinia
Adsint, clemens Apollonia,
Ne hostium victi fraudibus
A tuis cessemus laudibus.

R. Christum laudemus
immensi bravii,
Qui electam
sponsam Apolloniam
Per trophaeum
vectavit martyrii
In sanctorum
triumphantem curiam;

V. Margaritis vernantibus
Et coronis stellantibus
Ornavit eam mirifice.

Ad Magnificat.

A. O castitatis lilium,
Rosa vernans caritatis,
O virtutis solsequium,
Oliva suavitatis,
Pro tuis funde famulis
Preces supplex verbigenae,
Ut hostis ruptis vinculis
Tibi serviant serene.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Iucundare, Apollonia,
Signorum clara virtutibus,
Agonista Christi praevia,
Tortorum non cedens ictibus.

2. Vicisti mundum hunc malignum,
Vicisti daemonem temptantem,
Cor gerens castum. Deo dignum,
Vicisti carnem petulantem.

3. Nos tua protegant merita
Ab hoste, carne et saeculo,
Culparum deplanent debita,
Omni succurrant periculo.

4. Digna laude, martyr grata,
Alma virgo, expers doli.
Per te via certa, rata
Panditur in arcem poli.

5. Tua prece nos confortare
Dignare, Christi pugil fortis,
Et in virtute roborare,
Ne ruamus agone mortis.
Te iuvante evadamus,
Lapsi per te resurgamus.

R. Gaude, quae in terris posita
Deum in throno maiestatis
Vidisti, puella inclita.
Caelo aperto claritatis;
Gaude, quia tua passio
Victoriosa, grata
Angelo caelesti nuntio
Tibi exstat praenuntiata:

V. Annulo suo te
Christus subarrhavit,
Et sponsam praecaram
sibi sociavit.

Ad Magnificat.

A. O virgo, germine nobilis
Et morum virtute clara,
Exemplis facta es humilis
Christi ancillula cara,

Te serto immarcessibili
Digne Deus sublimavit
Et mercede infinibili
Electam remuneravit,
Nos tuarum virtute precum
Trahe super sidera tecum.

Alia Antiphona.

Virgo Christi egregia
Pro nobis, Apollonia,
Funde preces ad Dominum,
Ne pro reatu criminum
Vexemur morbo dentium.

Antiph. ms. Franciscanum sacc. 16. Cod. Bruxellen. 6434.

38. De sancto Arnoldo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laetare, mater ecclesia,
Nova promens cantica
In beati Arnoldi memoria.
2. Fulsit clarus e Graecia,
Sanctus in Germania,
Gaudet in caeli gloria.
3. Gloriam laudis
Christi devotus extulit
Et labentis florem mundi
Deo gratus obtulit.
4. Paradisi sitientem
Christus indeficientem
Ad fontem vocat hodie.
5. Iam caeli scandit agmina
Citharoedus ad gaudia
Laudum canens praeconia.

Ad Magnificat.

A. Magnificat sanctus Arnoldus
mente pia Dominum
Laetum in Deo salutari (suo)
semper gerens spiritum,
Quem supernorum
Iunxit turmis civium
Christus, salus omnium,
Qui sit suorum
Semper dux fidelium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Voce, voto, corde toto
iubilemus Domino,
Qui sanctorum sociavit
Arnoldum consortio.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir, qui meditatur
Legem Dei et plantatur
Velut lignum fructificans
In tempore.
2. Sanctitatis semitas
laetus apprehendit,
Hereditatem postulans
caeli gaudia conscendit.
3. Ardenti desiderio
clamavit ad Dominum,
Qui de monte sancto suum
exaudivit famulum.

Responsoria.

1. Imperator dum praeclarus
Monarchiam dignitatis
Carolus moderatur,
Vir clarus
E Graecia, citharoedus
In aula collaetatur,
V. Virtute pollens mira
Christi nutu beatus
Arnoldus.
2. Cum in citharoedum
Ad regii fastum decoris
Reciperetur Arnoldus,
Velut David
In citharis variis
Musicorum artibus
Aures regis demulcebat.
V. Prudens ac laetus Christi
Syphoniam dulci
Modulabat sono
In citharis suis.

3. Considerabat mundi verus
Christicola vanitatem,
Sacra sequens dogmata
Amplecti studuit pietatem.

V. *Hic accipiet benedictionem et misericordiam a Domino in aeternum.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Exquisivit pura mente
Sanctus Arnoldus Dominum
Et dedit illi gustum
Christus suavissimum.

2. Protexit sanctum suum Dominus
A coetu malignantium,
Ideo laetatur iustus
In terra iubilantium.

3. Beatus, quem elegisti, Domine,
Ut habitet in atriis tuis
Et decantet hymnum gloriae.

Responsoria.

1. In pauperum pauperiem
Direxit oculorum aciem
Vir Dei suavissimus
Et quod arte conquirebat,
Large sparsit omnibus.

V. *Manum suam aperuit inopi deditque quod datum est illi.*

2. In clangente mentis chorda
Sanctus ille citharoedus
Iubilabat Domino,
Dulce melos dulci sono
Decantans in tripudio.

V. *Exsultavit cor eius in iubilo et in ore eius Christi collaudatio.*

3. Sanctus athleta Domini,
Arnoldus, dum peregre
Sancti proficiscens
Iacobi visitare
Limina decrevisset,
Gerundae stans in litore
Preces fudit ad Dominum,
Ubi per miraculum
Mortis sanctitatisque suae
Accepit indicium.

V. *Innocens manibus et mundo corde misericorditer deprecatur.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Introivit in atria Dei
Vir mitis et sanctissimus,
Ubi semper iucundatur
Cum caelorum civibus.

2. Exsultent Sion filiae
Te laudantes, Domine,
Qui tuo confers hodie
Sancto coronam gloriae.

3. Notum facis, Domine,
Salutare tuum,
Dum sancto tuo tribuis
Caelorum habitaculum.

Responsoria.

1. Accessit ad Carolum,
Regem serenissimum,
Vir Dei, plenus spiritu
Pietatis,
Prece sua incolarum
Relevans inopiam
Paupertatis
Et lignorum obtinet
Dono copiam
Largitatis.

V. Regis procumbens pedibus
Sacris profusis imbribus
Humiliter deprecatur.

2. Optavit sanctus Domini
requiem post laborem,
Incensus efferbuit
spiritus per ardorem
Et caelestis appetit
curiae decorem.

V. Respexit considerationis
oculis in creatorem
Et in maiestatis
suae splendorem.

3. O virtutum ineffabilis
Cultor Dei pretiose,
Civis caelestis patriae,
Arnolde, tamquam cedrus
Libani crescens in altum,
Caeli culmina transcendis
Protege beneficiis
Tuos, quos gratiarum
Meritis incendis.

V. Ora pro populo tuo
Et universis gentibus
Invocantibus
Nomen tuum in veritate.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Induit decorem Dominus
Et praecinxit sanctum suum
Arnoldum virtutibus.

2. Laudavit
Nomen Christi assidue
Et magnificavit
Illud in confessione.

3. Effudit in lacrimis
Animam in nocte
Et labiis exsultationis
Glorificavit Deum.

4. Benedixit illi
Dominus in aeternum
Et testamentum pacis
Posuit super eum.

5. In citharis benesonantibus
Sanctus laudat citharoedus
Dominum.

Ad Benedictus.

A. O caelorum oriens,
Christe, rex omnipotens,
O sanctorum gloria,
Mundi salus et victoria,
Lux et decus firmamenti
Qui dedisti populo degenti
Beatum Arnoldum
Sanctitatis merito
Colendum,
Illius iuvamine
Gressus nostros
In viam pacis dirige.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Exsultet sancti Arnoldi
Spiritus in Domino,
Quem in caeli
Beavit Christus atrio,
Ubi semper erit
Laus et iubilatio;
O patrone,
Dux et custos bone,
Sancte Arnolde,
Tuos iuva famulos
Semper prece sedula
In saeculorum saecula.

Offic. ms. S. Arnoldi, Apographum Stockheimense saec. 18. — Dieser Abschrift liegt eine alte, 1832 noch vorhandene, jetzt verschwundene Pergamenthandschrift von Arnoldsweiler zu Grunde. Vgl. A. Steffens, Der heilige Arnoldus von Arnoldsweiler, Aachen 1887. S. 16. —

39. De beato Arnulpho Villariensi.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Celebretur hodie
Arnulphi sollemnitas,
Quem suscepit sempiterna
Caelorum amoenitas.

2. Hic fertur fuisse natus
Christi sanctus famulus
In Bruxella ac probatus,
Dum esset iuvenculus.

3. Cumque foret vernans flore
Hic adulescentiae
Suae, perfusus est rore
Dei sapientiae.

4. Hic Arnulphus, vir beatus,
Relictis parentibus
Suis recessit, ornatus
Decenter virtutibus
Et Villari conversatus
Est in bonis actibus.

Ad Magnificat.

A. Magnificat nunc anima
Mea Deum pro gloria
Arnulphi, qui caelestia
Penetravit gaudia,
In quo Iesum cum Maria,
Virgine et matre sua
Contemplatur cum gloria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus et plaudamus
Domino in harmonia,
Qui Arnulphum exaltavit
hodie in gloria.

In Laudibus.

Ad Benedictus.

A. Benedictus sit Dominus,
Deus pater et filius
Atque sanctus paraclitus,
Qui regnat in caelestibus,
Per quem hodie Arnulphus
Est iunctus caeli civibus,
In quo pro suis precibus
Nos salvet Dei filius.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificat altissimum
Anima mea Dominum,
Creaturarum omnium
Creatorem potissimum,
Qui nos per suum filium,
Redemptorem dulcissimum,
Redemit et paraclitum,
Conselatorem optimum,
Misit, ut nostrum gaudium
Esset atque solatium,
Qui etiam hunc famulum
Suum suscepit Arnulphum
De hoc mundo in gaudium
Hodie regni caelorum.

Offic. ms. Vilariensia saec. 13. Cod. Bruxellen. s. n. — Nur dies in Versen, der Rest Prosa. Verfasser des Officiums ist der Lebensbeschreiber des sel. Arnulph, Goswin de Bossut, der Cantor in der Abtei Villers oder Villiers bei Brüssel war. Vgl. Hist. Littér. de la France. Tom XVIII. p. 68 sq. Cisterciensium Annales ad annum 1229. c. 6 n. 1—9. Arnulph starb 1228. Über dem Officium: In solemnitate famuli Dei Arnulphi, conversi Villariensis, welcher Ausdruck sowohl wie die Schrift die Abfassung des Officiums als bald nach dem Tode des Seligen erfolgt erscheinen läfst.

40. De sancto Aurelio.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O felix consortium:
Beatum Aurelium,
Nataliam gratiosam,
Levitam Georgium,
Cum Felice Liliosam
Perduxit martyrium
Ad requiem gloriosam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regem regum omnium
Laudet plebs fidelis,
Iam Christus Aurelium
Coronat in caelis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum fidem nequit
in lucem ponere,
Sanctis se recommendat,
Ut palmae, quam
non cessat quaerere,
Bravium comprehendat.

2. Nataliam Aurelio
Sponsam Deus coniunxit,
Quos specialis unctio
Feliciter perunxit.

3. Hic sanctitatem intimat
Sponsae sacrae secretam,
Vehementius hoc animat
Christi novum athletam.

Responsoria.

1. Adulescens Aurelius,
Dum specialcs nuptias
Cogitur celebrare,
Fide succrescens amplius
Speciales divitias
Nititur observare.

V. Natalia perfectius
Opitulatur gratias
Sponsa multiplicare.

2. Iohannis supplicio
Pneumatis incendio
Totus inflammatus,
Fervens pro martyrio
Se fortem in proelio
Fore perhortatur;

V. Sub petrae praesidio
Facto domicilio
Poenas aspernatur.

3. O quanta discretio
Piaque devotio,
Lectus adornatus
Splendet in propatulo,
Haesit in periculo
Latens caelibatus.

V. In laterum lectulo
Christus adest clanculo
Visere dignatus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Precibus, ieiuniis
Carnem reprimentes
Divinis eloquiis
Pias pascunt mentes.

2. Sanctorum ecclesias
Saepe visitabant,
Pauperum inedias
Pie relevabant.

3. Morte et sacram filiam
Sponsa vidit migrantem,
Post palmae suae nuntiam
Vidit Deo regnantem.

Responsoria.

1. Mire sponsi fructificat
Vita proficientis,
Se suaque communicat
In carcere detentis,
Cum quibus se mortificat
Compassione mentis;

V. Hunc sibi fructum vendicat
Fervor sponsae prudentis.

2. Concupit Natalia
Caeli hierarchiam,
Concernit in gloria
Floram et Mariam,
Docentes ad gloriam
Martyrii viam.

V. Servans Rachel lilia
Sequitur Natalia,
Fructuosa Liam.

3. Spreta mundi specie
Pro thesauro gloriae
Cuncta sua vendunt,
Lacti de pauperie
Pro caelesti requie.
Quod habent, impendunt.

V. Coram Christi facie
Per portam angustiae
Venire contendunt.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Quorum vita moribus
Sacris enitebat,
His Deus splendoribus
Novis adparebat.

2. Illustrati caelitus
Sic mente fervebant,
Quod maerore spiritus
In carne vivebant.

3. Tot pleni virtutibus
Existentes tuti,
Carebant a fraudibus
Daemonis versuti.

Responsoria.

1. Passionis socius
Futurus, Georgius,
Sanctus coenobita,
Venit ad Aurelium,
Congaudet hospitium
In sancto levita.

V. Ut praedixit visio
De sancto Georgio,
Completum est ita.

2. Statim viso Georgio
Sancta clamat Natalia:
Consors est hic coronae,
Quam nobis absque dubio
Divina providentia
Paravit in agone.

V. Iam spiritus iudicia
Cognovit haec, quae praevia
Viderat visione.

3. O digne memoria,
Glorians in patria
Praedulcis Aureli,
Cum pia Natalia
Te fecit par gratia
Coheredem caeli.

V. Praesentem familiam
Post mundi miseriam
Iungas Israeli.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Caritatis fervidae
Robore muniti
Profitentur lucide
Fidem requisiti.

2. Domum seu convivium
Mortem reputantes
Currunt ad iudicium
Pro Christo laetantes

3. In iudicis praesentia,
Quidquid floret profanum,
Pro fidei constantia
Id dicunt esse vanum.

4. Quinque dierum spatio
Passionem dilatabant,
Seram putabant gaudio
Gloriae, quam sperabant.

5. Scalam caelos attingere,
Vidit alter illorum,
Qua debebant ascendere
Super alta caelorum.

Ad Benedictus.

A. Aureli, vir egregie,
Qui cum sancta Natalia
Georgium victoriae
Felicemque cum socia
Consortem habuisti,
Roga patrem clementiae,
Quatenus data venia
Glorificata facie
Perfruamur in patria
Domini Iesu Christi.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sacer Aureli, vas aureum,
Fac, quod emisti sanguine,
Commune nobis aurum,
Quo comparemus . . . .
Viventes sine crimine
Sempiternum thesaurum.

Brev. ms. Voraviense 157. saec. 14. — In I. Vesp. Ad Magn. A, 5 Cum Felicam. — In Laud. A 3, 1 Ita dicent esse. — Ad Bened. A, 9 in fehlt.

41. De sancto Athanasio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Sacerdotis
aeterni bonitas
Matris votum
in Athanasio
Sic acceptat,
ut morum claritas
Dignum promat
hunc sacerdotio.

2. Dum captis ab hostibus
Dat redemptionem,
Reparat in civibus
Congregationem.

3. Dispersit hic pauperibus
Construens xenodochium,
Cuius alantur fructibus,
Ipsisque sit hospitium.

4. Sedens cum principibus
Solium honoris
Tenet et in civibus
Vinculum amoris.

5. Omnes gentes,
laudate Dominum,
Qui coronam
dat Athanasio,
Digne gaudet
hic coetus hominum,
Pastor fruitur
caelesti gaudio.

Ad Magnificat.

A. Magnificavit humilem
Christus dignis prodigiis,
Dum odorem mirabilem
Eius dat ex reliquiis
Cunctisque venerabilem
Exhibet beneficiis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Caelestis collegii
Regem adoremus
Et in Athanasii
Festo iubilemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Lignum virens, irriguum
Fluente doctrinarum,
Fructum vere proficuum
Ex se produxit clarum.

2. Princeps iugum abiciens
Frustra persequebatur,
Cui de sursum prospiciens
Virtus committebatur.

3. Milia persequentium
Percussit rex caelorum,
Hunc adiunxit perspicuum
Collegio sanctorum.

Responsoria.

1. Vas insigne,
vas auri solidum,
Vas gemmarum
ornatu fulgidum,
Cunctis fudit
dulcorem sapidum,
Cunctis spirat
odorem placidum:
V. Vita, virtus,
doctrina, ratio
Mire fragrant
in Athanasio.

2. Ut parentum
voto promittitur,
Scholis puer
et clero iungitur,
Sacerdoti
summo committitur,
Cuius sacros
mores amplectitur;
V. Votum Christo
gratum sic patuit,
Nam oblatum
ad summa statuit.

3. Levitatus
agens officium
Arcem capit
virtutum omnium,

Mitis, prudens,
castus ad solium
Praesulatus
scandit concivium;
V. Urbs cum clero
repletur gaudio
Tanti patris
fulta solatio.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Scitote nunc, populi,
Quantum mirificatur,
Cuius ad tactum oculi
Caecus illuminatur.

2. Iustus benedicitur,
Sanctus coronatur,
Hic scuto protegitur,
Sursum honoratur.

3. Hic super ecclesiam
Praesul constitutus
Honorem et gloriam
Simul est indutus.

Responsoria.

1. Praesulatus
suscepto pondere
Sponsam pressam
bardorum scelere
Sic instaurat
divino munere,
Ut in cunctos
posset effundere;
V. Aedes sacras,
clerum, coenobia
Nova struxit
et xenodochia.

2. Mentis custos
carnem ieiuniis
Ac flagellis
passim afficiens,
Nocte vacans
iuge vigiliis
Orat Christum
sursum aspiciens,
Sic altaris
sacris mysteriis
Mundus instat
mentem reficiens;
V. Plebis causam
dignis officiis
Praesul agit
in se suscipiens.

3. Ducis nequam protervia
Pulsus invictus perstitit,
Lacessitus iniuria
Bona pro malis praestitit.
Dum in hostem sententia
Quod solveretur institit;
V. Nam dum hostis
spirat nequitiam,
Sanctus illi
impetrat gratiam.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ingressus tabernaculum
Praesul immaculatus,
Quietis habitaculum
Tenet glorificatus.

2. Pretiosi Iaspidis
Serto coronatur,
Dum probati lapidis
Fide roboratur.

3. Accepit dominicam
Benedictionem,
Ducens hic angelicam
Conversationem.

Responsoria.

1. Dum a sede
summa revertitur,
Nexu carnis
sanctus absolvitur,
Terrae tradens,
quod inde sumitur,
Caelo reddit,
quod Christo iungitur;
V. Odor carnis
post lustrum nimius

Monstrat, sanctus
quam sit eximius.

2. Caecis visus,
surdis auditio,
Claudis gressus,
mutis locutio,
Daemonicis
hostis expulsio
Conferuntur
sancti praesidio;

V. In salutem
languores transeunt,
Morientes
in vitam redeunt.

3. O quam claris
splendet miraculis
Praesul sanctus,
gaude Neapolis,
His protecta
tu propugnaculis
Non timebis
ab hostis iaculis;

V. Super nivem
a cunctis maculis
Candidaris
atque piaculis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ex eius sacris artubus
Odor exhalavit.
Cuius semper in actibus
Dominus regnavit.

2. Iubilate nunc cognito
Praesulis beneficio,
Deo dicate reddito
Demptae vocis officio.

3. Ad te de luce populi
Vigiles elevantur,
Virtute cuius oculi
Caeci illuminantur.

4. Benedicamus Dominum,
Cuius virtute datur
Sanctis, ut membris hominum
Daemon abiciatur.

5. Laudate devotius
Dominum de caelis,
Cui nunc Athanasius
Corregnat fidelis.

Ad Benedictus.

A. Benedictus
redemptor omnium,
Qui festivum
dat nobis gaudium,
Dum ad caeli
sublime bravium
Sanctum vocat
post cursus stadium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O pontifex egregie,
O sacerdotum gloria,
Athanasi, vas gratiae,
Tua per patrocinia
Obtine nobis hodie
Dei beneficia
Et post huius miseriae
Cursum aeterna gaudia.

Propr. ms. Neapolitanum imp. Neapoli 1525. — In 1. Vesp. **A** 1, 3 Martyris votum. — **A** 3, 2 Constituens. — In 1. Noct. **A** 1, 2 Fluens. — In 2. Noct. **A** 1, 3 oculis. — In 3. Noct. **R** 2, 2 auditus. — **R** 2, 5 Daemoniacis. — **R** 3, 6 tu fehlt. — Die zum Officium gehörigen Hymnen vgl. Anal. XXIII, Nr. 70 und 71.

42. De sancta Barbara.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gratulemur regi digna
Psallentes praeconia,
Qui ditavit sic per signa
Barbaram insignia.

2. Haec praeclara stirpe clara
Decus mundi respuit,

Gaudens gnara Christi cara
Paupertatem coluit.

3. Nondum apta viri voto
Mentem caelo reddidit
Et sic totam corde toto
Sese Deo subdidit.

4. Sic exculta multo flore
Sponsa Sion floruit
Et praeceptis miro more
Se divinis tribuit.

5. Quanto plus electa Dei
Malis mundi premitur,
Tanto magis summae spei
Gaudiis invehitur.

R. Laus perennis gloriae
Regi saeculorum,
Qui invexit hodie
Coetibus polorum
Parvulam eximio
Regni ornans solio;
V. Haec attente, virgines,
Cordibus signate,
Cunctis istam coruscare
Signis fecit Dominus.

Ad Magnificat.

A. Adest dies gratialis,
In qua martyr triumphalis
Fastus stravit verticem,
Minas hostis evellendo,
Torques eius conterendo
Caeli scandit apicem.
Eia, sponsa Salomonis
Veri, sidus lucens thronis,
Te poscentes assumus,
Quia respexit humilem
Rex a thronis famulam,
Te beatam dicimus,
Sis pro nobis, quaesumus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi sponso iucundemur
Psallantesque veneremur
Barbaram cum gloria.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Subiecisti sub pedibus
Eius idolatriam,
Tu, qui regnas caelos ornans
Huius mundi latriam.

2. Hanc auro solis vestiens
Novo figuras calamo,
Tamquam sponsus gaudens
Sponsam conducis thalamo.

3. Haec innocens manibus
Voto, signis claruit
Et cultibus inanibus
Resistens Deo paruit.

Responsoria.

1. Dum in granum nondum recens
Barbara maturuit,
Mittens manum virgo decens
Vana templi destruit.
Huius vitae semper rite
Fata spernens vilia,
V. Sic virtutum sumpsit scutum
Debellando vitia.

2. Ordinatam in structuris
Turrim fecit construi
Et quadratam in figuris,
Cui iubet imbui
Generosam pater rosam,
Plebem dolens perfrui
V. Eius forma venustatis,
Sed decenter potestatis
Tenet in custodia.

3. Hanc invitam maritali
Iungi petit copula,
Sed renitens voto tali
Stat constanter parvula,
Iussa patris exsecrando
Et futuris inhiando
Detestatur singula.
V. Rore caeli fecundata
Contra vanos excitata
Se obumbrat clipeo.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Femur cingit gladio,
Dum decurrit stadio
Mundi pellens vitium,
Sic exspectat bravium.

2. Arcum fregit et subegit
Ignibus perfidiae,
Arma, scuta, quibus tuta
Lues erat nequitiae.

3. Portas Sion patefecit,
Fundamenta dum perfecit,
Scandens super sidera.

Responsoria.

1. Peregrinos sumens vultus
Pater pergit peregre
Ad profanos tendens cultus,
Dum puella cernere
It cancellos, vidit binos
Turris in cacumine,
V. Sic invitis iubet addi
Tertium structoribus.

2. Pater dum revertitur,
Mox de causa quaeritur
Trium cancellorum;
Stant structores exclamantes
Et puellam incusantes
Simul commissorum,
V. Quam commotus pater totus
Dioscorus aggreditur.

3. Dum perquirit rei causam,
Nullam trahit virgo pausam,
Sed constanter loquitur:
Tres sunt mundum illustrantes
Et stellarum regulantes
Cursum et, quod tegitur
V. Firmamenti tam decenti
Sub stellato cardine.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dii gentium sophistici
et omnes daemoniaci,
Est, qui trinus regnat unus
rector orbis caelici.

2. Confundantur, qui laetantur.
Laudibus sculptilium,
Vivit pater, cui sacer
Servit grex fidelium.

3. In tubis ductilibus
buccinet exercitus,
Caelo quia Barbaram
coronavit Dominus.

Responsoria.

1. Hoc mirandum cernite,
Quanto sapientiae
Parva dono floruit,
Dum sigillum trinitatis
Cordi formam imbuit;
V. Hanc dat pater flagellari
Et angusto mancipari
Montis in tugurio.

2. Hinc adflicta praesentatur
Praesidis aspectui,
Sed libare dedignatur
Idolorum cultui,
Huius carnem lacerari
Et in arta vinculari
Rursum iubet clausula,
V. Deum orat et irrorat
Lux de caelo, cuius velo
Sanatur paupercula.

3. Praeses videns hanc sanatam
Diis adscribit gloriam,
Virgo Dei hinc nudatur
Et per vicos trahitur,
Orat et per angelum
Suscipit induvium;
V. Sic tyranno redditur
Et in monte plectitur
Virgo gloriosa.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Praecinxit ingenuam
Dominus splendore,
Dum firmavit thronum eius
aureo fulgore.

2. Sternit in laetitia
cervicem agnella,

Sic plectentis suscipit
gladii flagella.

3. Haec palmae victoriam
fortiter adivit,
Dum tortorum stimulos
ferventer sitivit.

4. Vidit Deus opera,
Quae faciebat tenera,
Propterea benedixit
Eam in saecula.

5. Triumphavit hodie
Barbara fidelis,
Iuvenes et virgines,
laudate Dominum de caelis.

Ad Benedictus.

A. Salutem ecclesiae
Deus instillavit,
Cornu, quod erexerat,
Goliae dum prostravit,
Et de Babyloniae
Castris triumphare
Suam fecit hodie
Famulam, regnare
Sine metu nos cum coetu
Sinat angelorum.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Cum esset clausa carcere
Virgo martyrque Barbara
Dilacerata corpore
Propter acerba verbera,
Venit hanc Iesus visere
Luce splendens siderea,
Qui tactu carnis tenerae
Sanavit eius vulnera.

Ad Tertiam.

A. Virtus tua, Iesu Christe,
rex aeternae gloriae,
Mihi praestet idolatras
me vexantes vincere,
Tu scis enim, quod sim nupta
tibi casto corpore
Et conservo tibi fidem
corde, ore, opere.

Ad Sextam.

A. Corpus sequuntur aquilae
Pulli lambentes sanguinem,
Currunt postes conspergendo,
Se cruore perfundendo
Libant agni dulcedinem;
Sic regina condemnatur
Et in agro victimatur
Martyr Christi, Barbara.

Ad Nonam.

A. Per desertum Babylonis
Rosa florens aquilonis
Praeservata in acie,
In vireto visionis
Iam triumphat Salomonis
Informata gratiae;
Virgo martyr, solio
Sita, uncta oleo,
Nulla spirans inopia
Lascivit messis copia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Rex in cena virginali
Sedens vocat Barbaram:
Laude plena triumphali
Sponsa, veni, lauream
Flore rosae sanguinatam
Et candore dealbatam
Stolam primam accipe,
Adornatam te caelorum
Incessanter angelorum
Concentus magnificat.

Brev. ms. S. Floriani XI 429. saec. 15. A. — Cod. S. Floriani XI 234. saec. 15. B. — Brev. ms. Trebonense saec. 15. Cod. Pragen. VI F 20. C. — Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. D. — Brev. Naumburgense imp. Lipsiae 1510. E. — Brev. Lubucense imp. s. l. et a. F. — Brev. Scarense imp. Norimbergae 1498. G.

Ferner: Antiph. ms. Lubicense saec. 15. Cod. Lubicen. s. n. — Brev. ms. Lamprechtense saec. 15. Cod. Londinen. Add. 18306. — Brev. ms. S. Mariae Gedanen. saec. 15. Cod. Bibl. OO. SS. Fol. 218. — Antiph. ms. S. Vincentii Bernen. saec. 15. Cod. Staviacen. s. n. — Antiph. ms. Beronense saec. 16. in. Cod. Eremiten. 728. — Brev. ms. Veteris Capellae Ratisbonen. 1908. saec. 15. — Brev. ms. Misnense saec. 15. Cod. Eistetten. 8° 72. — Brev. ms. Embricense (?) saec. 15. Cod. Sigmaringen. 28. — Brev. ms. Lamprechtense saec. 15. Cod. Doneschingen. 313. — Antiph. ms. Calcariense saec. 16. Cod. Arch. Calcarien. A 14. — Brev. ms. Nissense saec. 14. Cod. Wratislavien. I Q. 247. — Brev. ms. Frideslariense saec. 15. Cod. Casselan. Fol. 145. — Brev. ms. Waradinense anni 1460. Cod. Vatican. 8247. — Brev. Sedunense imp. Basilcae 1497. — Brev. Brixinense imp. Venetiis 1516. — Brev. Nurembergense imp. Lipsiae 1510. — Viaticus Misnensis imp. Lipsiae 1502.

In 1. Vesp. **AA.** Barbara, virgo Dei, virtute probata etc. cum reliquis D. — **A** 2, 1 Haec beata stirpe CG. — **A** 2, 3 Gaudens grata Christo CEG. — **R**, 6 coronans A. — **R** lautet in CG:

R. Barbara, virgo Dei veneranda, locum requiei,
Quem possedisti moriens pro nomine Christi,
Obtineas genti te puro corde colenti.
V. *Quae oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit.*

In D steht an dieser Stelle das folgende:

R. O Barbara, martyr sancta conspectuque beata,
Cum prece devota famulantum suscipe vota,
V. Iam Christo iuncta sponsoque tuo sociata.

Die **A** zum Magnificat beginnt in CEFG erst mit Eia sponsa etc. — Ibid. 8 fulgens thronis C. — Ad Nunc dimittis (Complet) hat E als **A**: Adest dies gratialis etc. bis Eia sponsa; vgl. die **A** ad Magn. — Das Invitatorium ist in E prosaisch; in CG lautet es:

Laudes Deo assidue
Iubilemus laetitiae,
Qui perennis gloriae
Coronam reddit (dedit G) Barbarae.

Ein anderes Invitatorium hat D:

Adoremus regem regum devotissime,
Qui Barbaram martyrem invitavit ad gloriam.

In 1. Noct. **A** 1, 1 sub fehlt CEG. — **A** 1, 3 Tu fehlt AB; Tu qui regnas super caelos G. — **A** 1, 4 mundi machinam G gegen den sonst beobachteten Reim, also Korrektur. — **A** 2, 3 lies egrediens? — **A** 2 korrigieren DG:

Solis tabernaculo
Christus decoratam
Tamquam sponsus de thalamo
Produxit hanc ornatam.

R 1, 2 maturivit A; refloruit G. — **R** 2, 1 Ornatam A. — **R** 2, 6 Plebe A. — **R** 2, 7 formam G. — **R** 2, 8 Sub decentis G. — **R** 3, 1 Hanc innitens A. — **R** 3, 6 Sic futuris A; Et figuris G. — **R** 3, 9 Et profanos exsecrata G. — In dieser Noct. stellt D **R** 3 an Stelle von **R** 1, an Stelle von **R** 3 das 1. **R** der folgenden Noct. — In 2. Noct. **A** 2, 4 Contrivit nequitiae DG. — **R** 1, 1 Peregrini D; statt dieses **R** steht aber hoc loco: Dum in granum etc. D. — **R** 1, 2 vergit proprie A. — **R** 2, 8 Didascorus A. — **R** 3, 1 Cum perquirit G. — **R** 3, 4 illuminantes A. — In 3. Noct. **A** 1, 2 Et fehlt ABG. — **A** 2. 4 Victor orbis ABCE. — **A** 2, 3 qui sacer A. — **A** 3, 3 sq. Caeli G; DEG verbessern:

Caelo quia Barbara
Coronatur gloria.

R 1, 7 angustum G. — R 1, 8 tugurium G. — R 2, 1 Haec afflicta G. — R 2, 7 clausula fehlt G. — R 2, 9 Lux de fehlen G. — R 3 Laus perennis etc. wie oben in 1. Vesp. CEG. — R 3, 4 vicos civitatis trahitur AB. — In Laud. A 1, 4 In aureo G. — A 2, 1 Stravit in ABG. — A 4, 3 sq. verbessert D:

Et eam propterea
Benedixit in saecula:

der Dichter reimt aber entweder besser oder gar nicht. — A 5, 3 Laudant omnes virgines G. — A 5, 4 Laudate fehlt G. — Ad Bened. A 5 Et Babylonis A. — Ibid. 9 sq. fehlen G. — Die AA per Horas fehlen in den meisten Quellen. — In 2. Vesp. ad Magn. A Eia sponsa Salomonis etc. E.

43. De sancta Barbara.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Consona vox menti
sit plausu cuncta regenti,
Caeli praeclaris
cui Barbara iungitur aris.

2. Haec celebris palma,
virgo, se fortior, alma
Vim carnis, fastum
terit orbis, daemonis astum.

3. Virgo, fide plena,
pro Christo, mente serena,
Eius amatore,
patitur, stimulatur amore.

4. Constans multarum
non asperitate minarum
Aut blandimentis
seducitur illa parentis.

5. Virgo coronata,
caeli super astra locata,
Pro nobis grata
Domino da vota parata.

R. Surge, virgo, propera,
Amica Dei, Barbara,
Induta auri cyclade
Sponso tuo te perficias,
Secum ut intres nuptias
Aptato oleo lampade.
V. Funde Domino precatus,
In ruinam noster status
Vergit labe sorditatus.

Ad Magnificat.

A. O pulchra Sion filia,
Dilectus inter milia
De mundi valle misera
Vocat te sponsam, Barbara.
Tua palma, laude plena,
Te sortitur in amoena
Arce caeli siderea
Iungi cum decoris laurea;
Nostri cui cum sis grata,
Memor prece sis oblata.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi Christo convenite
Regnanti sine compare,
Plausu iubilando rite
In festo sanctae Barbarae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tua magnificentia,
Domine Deus caeli,
Laudatur sapientia
A Barbara fideli.

2. Caeli Dei indicia
Custodivit consulta,
Quibus ferens supplicia,
Fit retributio multa.

3. Innocens haec manibus,
Procul ab omni sorde
Declinat ab inanibus
Serviens mundo corde.

Responsoria.

1. Erat quidam satrapa,
Dioscorus idolatra,
Cui Barbara nomine
Nata prudens nascitur,
Cuius ubique pascitur
Fama de pulchritudine.
V. Stola prima clam induta
Fidem Christi est secuta.
2. Frustra parens motus curis
Struit turrim saxis duris
In hanc locando virginem,
Ut ab altis pateat,
Formosa vultu lateat
Praetereuntem neminem;
V. Non ut cupit mens humana,
Sinit Deus fieri vana.
3. Pater turri natam locat,
Absente quo structores vocat,
Prece pulsans hos instanter:
In laudem sanctae trinitatis
Tres fenestras disponatis
Mihi fieri festinanter,
V. Cuius providentia
Vivunt, subsistunt entia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. De thoro pater narrans ei,
Eructavit verbum bonum:
Mihi Christum cordis mei
Elegi sponsum et patronum.
2. Dominus refugium
Fit martyris agone,
Adiutor est auxilium
Dans de tribulatione.
3. In montibus supernis
Locat haec fundamenta,
Dum monitis paternis
Obstat Deo praeventa.

Responsoria.

1. Fenestrarum causam rei,
Dum venit, quaerit, dicunt ei:
Sic tua nata voluit
Uni-trino ad honorem;
Pater motus in furorem
Vehementer doluit,
V. Cultum diis maeret natam
Liquisse Christo desponsatam.
2. Carceris dum in obscuris
Collocatur et laesuris
Diversis est offensa,
Adparet luce comminus
Quam consolatur Dominus
Amoris vice repensa;
V. Ait: Sponsa, ne timeas,
Tecum sum, ne pereas.
3. Christus veritas ut inquit,
Mundum atque patrem linquit,
Ut eius sit discipula
Ipso digna, caeli cena
Ut fruatur, gaudet poena
Fidelis Dei copula.
V. Crucem tollit et sectatur
Sponsa sponsum, per quem
vocatur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cantate Deo carmine,
Qui fecit mirabilia,
Quam assumpsit, in virgine,
Intra caeli sedilia.
2. Afferte Deo gloriam,
Misericordiarum
Ob virginis memoriam
Recordatus est suarum.
3. Adorate angeli Deum,
Cuius haec regnat bonitate,
Laetata est Sion, quae trophacum
Audivit Barbarae beatae.

Responsoria.

1. De eius sperans amatore
Fugit, ne patre saeviore
Spatha ruat insecuta,
Quam abscondit petra visa,
Cedit, velut sit abscisa,
Huic nutu Dei praestituta.

V. Sic a Deo custoditur
Virgo, quae a patre oditur.

2. Circa pastores quaeritur,
Christus, dum res sic geritur,
Sanctam probat indicio:
In locustas proditoris
Commutatae sunt pastoris
Oves Dei iudicio.

V. In sanctis Dominus collaudatur,
Cum quibus mira operatur.

3. Pugna peracta stadio
Orat martyr sub gladio
Pro his, a quibus veneratur
Palma sui martyrii,
Christus die iudicii
Horum culpae ne memoretur.

V. Spondet vox: Israelita
Vera, veni, sint petita
Tuis vernis exaudita.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Domiuus sedem decoris
Barbarae praeparavit,
Cui bravium laboris
In caelestibus erogavit.

2. Servivit cum laetitia
Christo, per quem velatur,
Dum praesidis saevitia,
Iussa trahi, nudatur.

3. Quem sitivit, apprehendit
Passa pro eius nomine,
Pater perit, cum descendit
De monte, caeli fulmine.

4. Benedicite, opera
Dei, et exsultate,
Flagris illata verbera
Sanat Barbarae beatae.

5. Laudet omnis spiritus
Palmam, qua martyr properat
Ad Christum, quam interitus
Carnis ab eo non separat.

Ad Benedictus.

A. Agonista pugnatura
Mente virum induit.
Propter Christum pati dura
Amore uihil metuit.
Haec est Iudith animosa,
Per quam morti dux addictus,
Regi placens Hesther formosa;
Sit Dominus benedictus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Dei claret clementia
In virginali sexu,
Sibi quem in praesentia
Iunxit amoris nexu;
Haec plebs viraginum alma
Caeli post dominatorem
Canit cum passionis palma
Ferens virginitatis florem.
Cui, felix mente Barbara,
Cum prae ceteris sit respectus,
Ipsum precatu supera,
Tibi nil negat dilectus,
Ut mortis hora praedecora
Tua vox est exaudita,
Sine mora solvat lora
Culparum, caeli margarita.

Antiph. ms. Voraviense 29. saec. 14. A. — Cod. Wernigeroden. Zu. 22 m. saec. 15. B. — In 1. Vesp. **R**, 4 tuo te preficias AB. — Ibid. 5 ad nuptias B. — Ibid. 9 Mergit B. — Ad Magn. **A**, 3 miseria A. — Ibid. 7 Arce sibi siderea B. — Ibid. 9 Nostra B. — In 1. Noct. **A** 1, 1 Tuam magnificentiam A — **A** 1, 2 Domine dominus caeli B. — **A** 1, 4 Et Barbarae fideli B. — **A** 2, 2 Custodit A, custodiit B. — **A** 2, 3 Quibus feretis A. — **R** 2, 4 peteat B. — **R** 2, 6 Praetereunte nemine A. — **R** 3, 1 Pater turri natam B. — In 2. Noct. **A** 1, 3 Mihi sponsum cordis B. — **A** 1, 4 Elegi Christum et B. — **R** 2, 3 Est offensa diversis A. — **R** 2, 6 fehlt A; vite B. — **R** 3, 1 Crucis ferit ut inquit B. — **R** 3, 4 Ipsa B. — **R** 3, 7 tollit ut sequatur B. — In 3. Noct. Ordnung der drei **AA** in B: 2, 3, 1. —

A 1, 1 Vacate Deo carmine B. — A 1, 3 In hac beata virgine B. — A 1, 4 Assumpta intra caeli sedilia B: die Lesart von A ist richtig, B auf Kosten des Metrums zu Gunsten des Sinnes korrigiert; zu konstruieren: Qui fecit mirabilia in virgine, quam assumpsit intra caeli sedilia. — A 2, 1 Aufferte Deo B. — A 2, 3 Ob virginis victoriam B. — R 1, 2 pater B. — R 1, 3 ruat secuta A. — R, 1, 4 abscondat B. — R 2, 3 prodat A. — R 3, 5 iudicio B. — R 3, 8 veni fehlt A; sunt B. — In Laud. A 4, 2 exaltate B. — A 4, 4 sonat B. — A 5, 3 Ad sponsum quam B. — Ad Bened. A, 6 placemus A. — Ibid. 8 Dominus Deus AB. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 1 claret potentia B. — Ibid. 4 Vixit amoris B. — Ibid. 5 virginum A. — Die Kollation von B besorgte gütigst Herr Ed. Jacobs, Direktor des fürstl. Archivs zu Wernigerode.

44. De sancta Barbara.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. O festiva dies,
   orbi venerabilis omni,
   Sanguine quam fuso
   Barbara virgo sacrat.
2. In qua, laeta sui
   sponsi dum scandit ad aulam,
   Omnis ei coetus
   coniubilat superum.
3. A dextris Christi,
   quo iam variis stat amicta,
   Nostris, oramus,
   ut faveat precibus.
4. Gaudeat ecclesia
   de tanti sideris ortu,
   Quo iucundatur
   terra decusque poli.

Responsoria.

R. O speculum morum,
   consolatrix miserorum,
   Barbara praeclarum
   duc nos iter et tibi carum
   Cernere da tecum
   sponsum gaudereque secum,
V. *In quem desiderant et angeli prospicere.*

Ad Magnificat.

A. Plausibus ecclesiae
   laus est adiecta novella,
   Dum caelos hodie
   vestis, carrissima stella;
   Barbara, virgo Dei,
   nostri, petimus, miserere
   Et plebem fidei
   prece praesidioque tuere.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Virgineae prolis
ad laudes evigilemus
Et veri solis
ortum iubilis resonemus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virgo super caelos
   regi iam proxima magno
   Dulce novumque melos
   cum virginibus canit agno.
2. Hanc per naturam
   tibi, spurce Dioscore, natam
   Lex Domini puram
   servavit et immaculatam.
3. Muris inclusa
   gaudet prope foutis amoena,
   Quo fuit infusa
   baptismate virgo serena.
4. Multis fecunda
   virtutibus haec fuit unda,
   Claruit et signis
   sacra crux in marmore dignis.

5. Tertia post binas
petit ut sit in aede fenestra,
Sic tres divinas
sapit eius prima palaestra.
6. Cordibus electis
micat admirabile lumen,
Quod radiis rectis
fidei confirmat acumen.

Responsoria.

1. Barbara Tuscorum
claro de germine nata
Ut rosa, flos florum,
specie virtuteque grata,
V. *Quasi lilia, quae sunt in transitu aquarum.*
2. Errorem patris
dum declinat tenebrosum,
Nubibus ex atris
iubar exsurgit speciosum;
V. *Est enim haec speciosior sole et super omnem dispositionem stellarum.*
3. Idola deridet
vanamque superstitionem,
Quae nihil esse videt
exactam per rationem;
V. *Scimus, quia nihil est idolum in mundo et quod nullus Deus nisi unus.*
4. Hanc fidei verae
circumdat nobile munus,
A qua sincere
trinus colitur Deus unus;
V. *Pater, verbum et spiritus sanctus, hi tres unum sunt.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum maris ista thorum
vitat patremque minantem,
Quidam pastorum
prodit tremule latitantem.
2. Vertitur in graciles
ovium grex ille locustas
Per motus faciles,
quos non habet ulla vetustas.
3. O signum verum
naturae lege subacta,
Quo celer haec rerum
fuit immutatio facta.
4. Nata pilis vecta
patrem rediens comitatur,
Ad loca proiecta
tenebrosa fame cruciatur.
5. Carcere, verberibus
iterantur ei nova bella,
Lampade, vulneribus
torquetur clara puella.
6. Nervis taurinis
ut ovis mansueta ligatur
Et cilicinis
setis per membra cavatur.

Responsoria.

1. Membris detectis
nudatur et exagitatur,
Uberibus sectis
contunditur et laceratur;
V. *Conclusit me Deus apud iniquum et in manibus impiorum me tradidit.*
2. Angelico cultu
Christi vestitur amica,
Sic laeto vultu
procedit virgo pudica;
V. *Indui te subtilibus et ornavi te ornamento.*
3. Carcere conclusam
salvator visitat atque
Sanguine perfusam
adivit laetificatque;
V. *Qui post tempestatem tranquillitatem facis et post lamentationem et fletum exsultationem infundis.*
4. O sidus fidei,
divini callis amoris,
Instrue, norma spei,
tribus his nos omnibus horis;

V. *Ecce, descripsi tibi eam triplici-ter in cogitationibus et scientia.*

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. O rosa, quae rivis
fecundaris redivivis,
Tegmine virtutis
splendoreque fulta salutis,
Absterso luctu
divino nos ale fructu.

Responsoria.

1. Praesidis insano
fastu crebre cruciata,
Tandem truncata
caput est a patre profano,
V. *Gloriosam mortem magis quam odibilem vitam amplectens.*
2. Flosculus ut rore
perfusus virgo cruore
Rorida mundorum
viret instar liliorum;
V. *Erit quasi ros Israel, germinabit quasi lilium.*
3. Fulminis interiit
ictu genitor sceleratus
Et mox disperiit
quasi pulvis in aera latus;
V. *Sic pereant omnes inimici tui, Domine.*
4. Oscula dulcoris
aeterni sponsus amoris
Iucundo more
iam de sponsae sugit ore,
Qua nos irrora
dulcedine, virgo decora;
V. *Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Haec virgo prudens,
fidei praecincta decore,
Omni laude domum
sanctificat Domini.
2. Atria laetitiae
virgo iubilando subivit.
De cellis claris
clara trophaea ferens.
3. Hanc tua dextra, Deus,
te spem vitae sitientem
Atque tui memorem
suscipit ad speciem.
4. Clarior emicuit
virgo spectabilis auro,
Quod de fornace
purius egreditur.
5. Corpore virgineo
dignanter sarcophagato
Spiritus aethereum
laetus adit thalamum.

Ad Benedictus.

A. O vivae pacis
lux orta plagis subopacis,
Barbara, dignare
virtutibus irradiare.
Nos nostrosque pedes
ad amoena dirige sedes.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Aspirante die
tibi, clara virgo sacrata,
Floribus es hodie
caeli confasciculata.

Ad Tertiam.

A. Tu Christi consors
per amoris foedera facta,
Hoc ad opus concors
miti nos ubere lacta.

Ad Sextam.

A. Quae tibi de sursum
stola praemonstratur ab arce,
Post hunc decursum
te vestit nescia Parcae.

Ad Nonam.

A. Ad te dilectam
sponsam dum, Christe, vocasti,
Caelis invectam
tibi iugiter associasti.

In 2. Vesperis.

R. O margarita,
quam mors pretiosa polivit,
Moribus et vita
te fons vitae redimivit;

V. *Tu gloria Ierusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri.*

Ad Magnificat.

A. De vespertina
pia, virgo, canentia castra
Ad matutina
transfer cum laudibus astra,
Fac huius stadii
nos sic intendere cellis,
Ut mundi radii
iungamur in aethere stellis.

Brev. ms. Altenbergense saec. 15. Cod. Dusseldorpin. C 63 A. — Brev. ms. Voraviense saec. 14. Cod. Voravien. 122. add. saec. 14. B. — Brev. ms. Hospitalense anni 1477. Cod. Paulan. Hosp. memb. 106. C. — Brev. ms. saec. 15. Clm. Monacen. 26681. D.

Nur A hat monastische Form, welche jedenfalls diesem Officium ursprünglich ist. — In 1. Vesp. **A** 5 Ad te dilectam etc. BCD. (vgl. ad Nonam). In 1. Noct. **A** 5, 1 Terna post binas BC. — **R** 1, 1 Barbara iustorum BC. — In 2. Noct. **A** 1, 1 Cum maris ista BC. — **AA** 4—6 fehlen BCD. — **A** 4, 2 rediens imitatur A. — In Laudibus **A** 1, 2 fide prae cuncta B; fidei detincta D. — A hat als Cisterzienserhandschrift nur eine **A** super Ps. in den Laudes; die andern sind per parvas Horas verteilt; da dieselben aber inhaltlich unverkennbar auf die Laudespsalmen anspielen, so sind sie nach BCD dieser Hore belassen. — Ad Bened. **A** lautet in D: Rex in cena virginali etc. Vgl. das Offic. Gratulemur regi digna in 2. Vesp. ad Magn. Die **AA** per Horas fehlen mit einer Ausnahme (siehe oben) in BCD: in A stehen dieselben in 2. Vesp. super Ps. Sie nehmen aber unverkennbar auf die kleinen Horen Bezug. z. B. Aspirante die etc., was in der Vesper schlechterdings unmöglich ist. A setzt sie in die Vesper, weil es die kleinen Horen schon mit den eigentlichen Laudes-Antiphonen besetzt hatte. C hat für die kleinen Horen dieselben **AA** wie das Officium Gratulemur regi digna, nur dafs die **A** ad Sextam der Non zugeteilt ist, wofür der Sext die folgende **A** zugewiesen wird:

Nota fecit Dominus
Divina mysteria
In conspectu gentium,
Cum simplex agricola
Regnum infidelium
Superavit, praedia
Per sanctum paraclitum
Operantem talia.

In 2. Vesp. ad Magn. setzt D die Antiphon:

Corpore virgineo
Dignantur (!) sarcophago
Spiritus aethereum
Lactus adit thalamum.

45. De sancta Barbara.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. O martyr sancta,
nunc prece, Deo sociata,
Sis memor hic nostri,
devotos quos tibi nosti.

2. Virginis constantia
dum non superari
Nec a fide Iesu Christi
potest separari,
Iudex hanc sententia
iubet decollari.

3. Dum beatam Barbaram
pater decollasset,
Et frendens ut Cerberus
montem descendisset,
Ignis venit caelitus,
Ipsum cremans penitus,
ne quid superesset.

4. Summo regi gloriae
Modulamur hodie
Laudes et praeconia.

Ad Magnificat.

A. Rex in cena virginali
Sedens vocat Barbaram:
Laude plena triumphali
Sponsa, veni, lauream
Flore rosae sanguinatam
Et candore dealbatam
Stolam primam accipe;
Advocatam te caelorum
Incessanter angelorum
Concentus magnificat.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Venite, adoremus regem regum,
Qui beatae Barbarae
Coronam dedit gloriae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virginis eximiae
Barbarae, martyris almae,
Festa celebrare
da nobis, rex pie Christe.

2. Haec mundum spernens
et mundi florida ducens
Pro nihilo, veram
studuit cognoscere vitam.

3. Coepit amare Deum
totumque relinquere mundum,
Caelica mente petens
et Christo semper adhaerens.

4. Hanc pius in propriam
Christus sibi sumere sponsam
Dignatus, caeli
provexit ad aethera summi.

5. Non cedens verbis
mactatur verbere mitis,
Carcere damnatur
nec virgo sic superatur.

6. Praeses ut invictam
penitus vidit Christi sponsam,
Ut leo crudelis
iubet hanc discerpere poenis.

Responsoria.

1. Erat quidam satrapas
Nomine Dioscorus,
Cui erat filia
Nomine Barbara;
V. Pulchra facie,
Sed pulchrior fide
Erat Barbara
Christi filia.

2. Pater dixit filiae:
Quidam locuti sunt de te.
Ut acciperent te
In coniugio;
Ad haec respondit virgo:

V. *Regnum mundi et omnem ornatum saeculi contempsi propter amorem Domini mei Iesu Christi.*

3. Dum beata Barbara
annos pertransisset
Pueriles et ad tempus
nubile venisset,
Pater summo studio
maritum precatur,
Cui matrimonio
Barbara iungatur;

V. Primitus blanditiis
eam consolatur,
Nubere si renuit,
dire comminatur.

4. Dixit beata Barbara
artificibus patris:
Tres mihi fenestras facite
in nomine trinitatis;

V. *Quoniam rex omnis terrae Deus, psallite sapienter.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sponsa Christi celebris
Sponso visitatur,
Posita in tenebris
Mire collustratur.

2. Blande Christus: filia,
Pone metum, inquit,
Sisque constans, gratia
Te non derelinquit.

3. Iustae lux orta est gratiae
Late spargens radium,
Rectis corde studium
Ingerit laetitiae.

4. Sponsa Christi
A praeside nudatur
Et per vicos agitatur,
Sed precata Deum
mox candida stola velatur.

5. Martyr, dum oravit,
gladium subit, aethera scandit,
Sponsus honorque datur,
cum Christo deliciatur.

6. Dum in sancta Barbara,
Iesu Christe, coleris,
Memor esto muneris,
Quod oranti contulisti,
Spes humani generis

Responsoria.

1. Surge, virgo, et nostras
sponso preces aperi,
Tua vox est dulcis
in aure Domini,
Quae pausas
sub umbra dilecti;

V. Pulchre, Sion filia,
Pro mortali tunica
Agni tecta vellere
Et corona gloriae.

2. Pater repletus scelere
Filiam vult occidere,
Sed videt illam evanescere,
Vident hanc pastores fugere,
Alter illam non vult prodere,
Alter ostendit temere;

V. A Domino fit signum mirabile,
Oves proditoris fiunt locustae.

3. Christus sanctam tenebroso
Reclusam ergastulo
Miro satis atque blando
Confortat eloquio;

V. Salve, virgo benedicta,
Quam Christi praesentia
Miro satis atque blando
Confortat eloquio.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Quanto sese deprimebat
Humilis nobilitas,
Tanto magis elucebat
Nobilis humilitas.

Responsoria.

1. Praecepto praesidis
Christi virgo nudatur,

Nudata rursum flagellatur,
Nuda per provinciam
Ab impiis viris agitatur,
Petit a Domino, quod tegatur,
Et, ecce, ab eo
stola candida velatur.

V. Mira Dei clementia,
Quae largitur,
Quod petitur
Abiecta diffidentia.

2. Virgo sancta Barbara
A patre suo decollatur,
Pater eius iudicio
Dei concrematur,
Illa caelo coronatur,
Hic inferno cruciatur;

V. *Exsultent filiae Sion propter iudicia tua, Domine.*

3. O admirandam virginis
Huius fortitudinem,
Qua in se vitae veteris
Sic occidit hominem
Et potestates aeris
Vertit in formidinem;

V. Haec pugnatura stadio
Mente virum induit
Femur cingens gladio.
Thalamo gaudens regio
Coniuncta Dei filio.

Per Horas.

Ad Primam.

A. In optata cellula
recludi iubetur,
Quali morte pereat,
donec percunctetur.

Ad Tertiam.

Latera lampadibus
Virginis cremantur,
Vulnera vulneribus
Dire cumulantur.

Ad Sextam.

A. Iudex dirus Barbarae
praecipit mamillas
Virginis amputari (devotae),
Deo libat illas.

Ad Nonam.

A. Circumduci cogitur
virgo denudata,
Sed a Deo candida
veste fit ornata.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Pater Deo barbarus
et iudex iniquus
Torquet eam, cuius Christus
est sponsus et amicus.

Ad Benedictus.

A. Prudens et vigilans virgo,
Qualis es cum sponso illo,
Qui te elegit mundam,
Quam pulchra, quam mirabilis,
Quanta luce spectabilis
Inter Sion iuvenculas
Et Ierusalem filias,

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, gemma pretiosa,
Margarita fulgida,
Sponsa Christi gloriosa,
Paradisi viola,
Virgo Dei, Barbara,
Clemens et benigna,
Quae a patre truncata
In aula regnas caelica;
Ora pro nobis
Apud regem gloriae,
Cuius fulget claritas
Ut sol in meridie.

Brev. ms. Langhemense anni 1500. Cod. Bambergen. Ed. VI 8. — In 1. Vesp. **A** 3, 3 Et fehlt; Cerbarus. — In 2. Noct. **A** 4, 5 stola candida. — **A** 6, 5 Spe. — **R** 4 ist prosaisch. — In 3. Noct. **R** 1, 12 dividentia. — **R** 3, 6 Vertit in fortitudinem. — **R** 4 prosaisch. — Ad Nonam **A**, 1 Circumcidi.

46. De sancta Barbara.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Exaltemus in suavi
Cor et mentem cithara,
Ut gustemus mellis favi
Torrentem cum Barbara.

2. Quae carne [quidem] sterilis,
Sed mente fecunda,
Virgo et mater fertilis
Laetatur iucunda.

3. Dum in turri habitavit
Arte custodita,
Virtus pacis abundavit
In mente munita.

4. Domum dum aedificat
Pater eius vanam,
Fenestram multiplicat
Ob fidem Christianam.

5. O nive candidior,
Crystallo nobilior,
Agni lana tu vestiris,
Aquae fluxu tu fulciris,
Dum flat Auster verior.

Ad Magnificat.

A. Adest dies magnae laudis,
In qua virgo expers fraudis
Magnificat Dominum,
Dum exultantem spiritum
Potenti cum victoria
Christo reddit Barbara.
Eia, pia, da gustare
Christi cibum miseris
Hic in via et ditare
Paupertatem inopis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christo regi exsultantes
iubilemus iugiter,
Sponsae Dei famulemur,
ut regnemus perenniter.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Paulo minus ab angelis
Sponsus sponsam minuit,
Dum caelebs haec celebris
Carnis iura diluit.

2. A summo caelo deitatis
Ut columba graditur,
Ramum portans castitatis
In ipsum revertitur.

3. Speculare Sion montem,
Uberem deliciis,
Manum scandit per insontem
Et cordis munditiis.

Responsoria.

1. Sublimi in solario
Virgo residens Barbara
Cum virtutum vario,
In mente virginea
Ut caelesti sacrario
Capit divina contubernia.
V. Viri thorum despicit
Virgo, quae chorum conspicit
Mente angelorum.

2. Aquae vivae rivulum,
Charismatum diluvium
Se hic expressit,
Vim salubrem languidis
Dum fonti baptismatis
Sui impressit.
V. Fons signatus permanens,
Hortus clausus, proferens
Paradisi fructum.

3. O fenestra trini Dei,
Quam pertransit lux dici,
En, ipse per te prospicit
In ternarum structura,
Trinitatis cuius vestigium
Quaevis gerit creatura,
V. Sed tu signaculum Dei
Es similitudinis,
Plenum decore luminis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Oblita patris proprii
Ob Christi regis amorem
Ad poenas supplicii
Se offert promptiorem.

2. Ad Dei virtutem
spe plena refugit,
Tyranni dum rabies
ut leaena rugit.

3. Eam Deus in aeternum
Sic fundavit, quod supernum
Verbum visu prospicit,
Quod ex auditu credidit.

Responsoria.

1. Eia, virgo mirabilis,
Paries tibi labilis
Dat iter manens stabilis.
Vere splendor es solaris,
Ut in vitris iens claris,
Dum scissuram nullam paris.
V. Sic ex parte active
Egisti,
Quod in partu passive
Gessit mater Christi.

2. Haec est stella matutina
Clausa sub signaculo,
Quam illustrat lux divina
In carceris ergastulo,
V. Hoc exorto lucifero
Caelum, terra plaudit gaudio.

3. Septemplici radio
Ut sol coruscavit,
Haec luna pugnans stadio
Dum laeta toleravit
Carceris angustias,
Flagella et ungulas,
Lampades et malleum,
Abscissionem uberum,
V. Ferientem
caput gladium,
Ut argentum
purgatum septuplum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Afferte Deo gloriam,
Qui gentium sculptilia
Muta esse daemonia
Docuit hanc familiam.

2. Exsulta, Sion inclita,
Deum adorant angeli,
Dum haec Iudae filia
Dat odorem balsami.

3. Novum agno canticum
Et iubilum laetitiae
Chorus canit virginum
Ob titulum sanctimoniae.

Responsoria.

1. Ab intus per aureum
Vestitum haec protecta,
Gemmas gerens virtutum
In mente electa,
Terram circuit in derisum
Nuda carne, mundo corde
Attingens paradisum.
V. Sed tegens caelum nubibus
Hanc vestivit
angelorum manibus.

2. Nequaquam exterminium
Inferi hunc ferit,
Qui pium patrocinium
Barbarae hic quaerit
Et promptum cordis scrinium
Ad laudes eius gerit;
V. Hoc a Christo impetravit,
Pro quo mori non expavit.

3. O Dea Saturnea
Manna pluens caelicum,
Apis tu es mellea
Cibum ferens angelicum,
Famulis tui nominis
Ferculis frui corporis
Salvatoris
Da, virgo decoris.
V. Tu mons regalis culminis
Ros vitalis veniae,

Flos vernalis germinis,
Dos dotalis gratiae.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Nimis admirabilis
In altis Christus Iesus,
Quem in imis tam fragilis
Sexus colit caesus.

2. Oves Christi pascuae
Laude sunt venustae,
Nam ad nutum Barbarae
Oves sunt locustae.

3. Fame, siti cruciata
In vili domicilio
Christo fuit satiata
Ex caeli edulio.

4. In igne sancti flaminis
Benedicamus Dominum,
Igne caeli fulminis
Qui consumpsit Dioscorum.

5. Iuvenes et virgines
Laudes dent et gloriam,
Qui ad caeli cardines
Christo vehit Barbaram.

Ad Benedictus.

A. Benedictus sit pater luminum,
Qui Barbaram, dum petivit
Pro salute omnium
Sibi famulantium
Exaudivit,
Per quam delicti venia
Pax atque iustitia,
Fax lucis in tenebris
Oritur de superis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Dei esse digitus
Barbara probatur,
Per quam crucis titulus
In petra formatur,
Nam impressit per digitum
In marmoris duritie
Crucis signum inclitum
Manens usque hodie.

Brev. ms. Caminense saec. 15. Cod. Stetinen. (Gesellsch. f. pommerische Gesch. u. Altertumskunde) s. n. A. — Orat. ms. Dorotheae de Mittelhusen anni 1449. Clm. Monacen. 10930 B. — Diurn. Caminense imp. Lipsiae 1519. C. — Feruer: Antiph. ms. Veteris cellae saec. 15. Cod. Lipsien. 772. — In 1. Vesp. B hat Super Ps. nur eine **A**, die erste. — **A** 1, 1 Exsultemus ABC. — **A** 1, 2 mente C. — **A** 4, 3 Fenestram ternam **A**, trinam C. — Ad Magn. **A**, 6 reddidit B. — Invit. 1 iubilantes B. — Ibid. 2 Exsultemus B. — In 1. Noct. **A** 1, 4 Carnis vita A. — **A** 3, 1 Speculationem Sion A. — **R** 1, 4 mentem B. — **R** 1, 9 Mente fehlt B. — **R** 2, 3 Se esse expressit A. — **R** 2, 8 conclusus B. — In 2. Noct. **A** 3, 1 Eam Deus fehlt B. — **A** 3, 3 Verum visi prospicit. B. — **A** 3, 4 Quod fehlt A; ex pio auditu A, ex pro auditu B. — **R** 1, 6 Dum fehlt B; sciens nullam B. — **R** 1, 9 in parte B. — **R** 2, 5 Haec ex ortu. — **R** 3, 3 luna fehlt B. — In 3. Noct. **A** , 3 Et unica esse B. — **A** 1, 4 famulam. — **A** 2, 3 Et haec inde filia B. — **R** 2, 2 huc B. — In Laud. **A** 1, 1 Rivus admirabilis A. — **A** 2, 2 Oves sunt B. — **A** 3, 4 Caeli ex edulio A. — **A** 4, 2 Benedicimus B. — **A** 4, 4 Didascorum A. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** 1 Dei esse dignus B. — Ibid. 4 firmatur B.

47. De sancta Barbara.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. O virgo beata,
Dioscori nata,
Nobis tuis aemulis,
Caritate famulis,
Peccatorum veniam
Impetra per gratiam
Sponsi tui Christi,

Quem tu coluisti,
Pro quo inivisti
Poenas leto tristi.

Ad Magnificat.

A. Vitae salus valida,
Ne nos palus squalida
Peccati demergat,
Hic nos sic transvergat,
Ut in vitae solio
Regnemus cum gaudio;
Impetret hoc Barbara,
Ne nos gens [tam] barbara
Diri ducis, taetri, trucis,
Hostis crucis atque lucis
Seducat vitiis
Nos dans suppliciis,
Sed eius per passionem
Transeamus per agonem
Dei sorte bona morte
Ad vitam aeternam.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Lingua cordi consonet,
Melos pium personet
Ad honorem virginis
Laudans natum hominis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Audi, hortor, quid hic tortor
Praetendebat, cum fundebat
Filialem sanguinem.
2. Sua nata Deo grata,
Hoc doluit, quod coluit
Christum Deum hominem,
3. Immolatum, cruciatum
Dei natum, verbo natum
Per intactam virginem.

Responsoria.

1. Dioscorus, vir stultus,
Atrocitate multus
Fidos contra Christianos,
Deos venerans profanos
Suam natam custodivit
In turri ingente,
Ne a procaci gente
Cerneretur; Barbara,
Fide, castitate clara,
Conubia odivit,
V. Iesum sponsum quaerens,
Soli huic adhaerens
Caelica quaesivit.
2. O miranda pietas
Et laudanda caritas
Nostri salvatoris,
Qui certanti graviter,
Triumphanti suaviter
Adest cunctis horis;
V. Astitit ut virgini,
Sic et iusto homini,
Hoc est sui moris.
3. Fenestrarum pater bina
Strui iussit solia,
In thermarum loca trina
Fieri dat filia
A paternis famulis
Crucis cum signaculis,
V. Ut laus deitatis,
Summae trinitatis.
Innotescat populis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pater cum cognosceret,
Haec quod Christum coleret
Atque sancte viveret
Fide Christiana,
2. Quaerit hanc perimere
Et spatha transfigere,
Sic neci subicere
Mente malesana.
3. Lapis eam celavit,
Quod Christus donavit,
Sic quod tunc cessavit
Ultio profana.

Responsoria.

1. Deus praemirabilis,
Astans suis stabilis,
Omni laude dignum
Mirum fecit signum
Consolationis
Ob rem proditionis:
V. Virgo cum oravit,
In locustas mutavit
Oves opilionis.

2. Per pastorem prodita
Virgo, patri reddita,
Est a patre laesa
Ac praedire caesa
Utque saevo vindici
Tradita est iudici,
V. Ipsa quod adhaeserat
Christoque serviverat
Salvatori supplici.

3. Praeses, litis ut immitis
Praeavidus,
Christianos fide sanos
Impavidus
Torquere severe,
Puellulam, ancillulam
Iesu Christi, esu tristi
Poenae amarae tormentare
Sat nititur, haec patitur
Fidem docens populo;
V. Squalido cum poenis
Torta inamoenis
Data est ergastulo.

3. Hinc elatam, sic sanatam
Admiratus, est hortatus
Praeses, diis quod offerat,
Virgo quod respuerat.

Responsoria.

1. Usta lampadarum focis
In eius costarum locis
Est mamilla depraedata
Ungulisque lacerata
Diro cum supplicio;
V. Caput eius tunditur,
Cruore perfunditur
Et teritur cilicio.

2. Quando praeses impudicus,
Castitatis inimicus,
Virginem nudaverat,
Quam sponsus non desiverat,
V. Ipsam veste pulla,
Tincta nota nulla,
Angelus vestiverat.

3. Virgo Christi sancta,
Tantis poenis ancta,
Ne nobis negetur,
Impetra, corona
Post hanc vitam bona,
Sed pax praeparetur;
V. In morte nos conserva,
Ne Plutonis caterva
Nobis dominetur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hanc reclusam carcere
Dignabatur pascere
Christi clementia
Sua praesentia.

2. Confortando, consolando
Hic sanavit, sauciavit
Quod praesidis impietas
Et poenarum gravitas.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dum praeses nil proficeret,
Ut a fide perverteret
Virginem sic stabilem,
Sponso suo habilem,
Pater hanc recepit,
Iratus concepit
Ipsam magis laedere.

2. Ecce, quantum hic erravit,
Hanc, quam de se generavit,
Natam capite truncavit
Gladiali verbere.

3. Ensem virgo cum subivit,
Dignas preces tunc petivit
Pro gentibus agentibus
Poenarum suarum memoriam,

4. Ut hac consequantur prece
In sua finali nece
Peccatorum suorum veniam.

5. Sancta prece hac finita
Est vox dicens mox audita:
Quod rogasti, impetrasti,
Veni, sponsa mea.

Ad Benedictus.

A. Pyr de caelo in hoc zelo
Recedentem ante gentem
Patrem, virum criminis,
Flante ictu fulminis
Deglutivit et contrivit,
Quod nil certum est repertum
Pulveris vel sanguinis.
Corpus digne huius . .
Conquisivit, sepelivit
Valentinus virginis,
Voto pii culminis
Quae nos dignos, non praevignos,
Sed heredes ad mercedes
Ipsius certaminis
Reddat et precaminis.

Brev. Monasteriense imp. s. l. et a. (1489). A. — Matutinale Monasteriense imp. s. l. et a. B; letzteres natürlich nur die Nocturnen. — Laud. **A** 4, 1 Ut hanc consequantur A. — In 2. Vesp. Super Psalm. A: Hanc reclusam carcere; Ad Magnif. Pyr de caelo etc.

48. De sancta Barbara.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Barbarae sollemnia festivis suscipe votis,
Inclita ecclesia, libans conatibus totis
Christo precamina, ut post aestus iungat te notis.

2. Teneris in annis haec sprevit idola vana,
Vilibus sub pannis suprema quaeritur bona.

3. Virgineo flore martyrii cumque rigore
Satagit placere regi aethereo mere.

4. Hanc sibi allexit unicam altissimus sponsam,
Quam caelis invexit pro fide pluries tonsam.

5. Rapuit consortem beatorum coetus iucundi,
Quam gaudent per mortem vicisse spolia mundi.

Cod. Ducumburgen. 211. auf dem Einbande, einem fragm. Antiph. saec. 15. Antiphonen eines Reimofficiums, wahrscheinlich in 1. Vesp., wie das auf die 5. Antiphon folgende **R** vermuten läfst.

49. De sancto Barnaba.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Consolator animae,
Iesu, pastor optime,
Meritis Barnabae,
Filii consolationis,
Perfunde nos antidoto
Supernae unctionis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Consolemur animis
adorantes Dominum,
Qui supernis sociat
Barnabam apostolum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Barnabas apostolus
ex tribu Levi prodiit,
Cuius praedicatio
in omnem terram exiit.
2. Ioseph a parentibus
primo nominatus,
Post haec ab apostolis
Barnabas vocatus.
3. Cyprus erat genere,
agrum suum vendidit,
Pretium apostolis
fideliter tradidit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Redeunt Ierusalem
fratres visitare,
Iubet sanctus spiritus
istos segregare.
2. In opus ministerii
hi duo electi,
Paphnum et Seleuciam
statim sunt profecti.
3. Lystris et Iconium
Cyprumque pergentes
Convertunt ad Dominum
verbo vitae gentes.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus Dominum,
Qui consolationis filium,
Barnabam apostolum
Dignatus est hodie
Caelesti consolatione
Consolari,
Cuius et nos precibus
Dono sancti spiritus
Mereamur recreari.

Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Parisin. 760. — Alle im vorstehenden nicht aufgeführten Teile des Officiums prosaisch.

50. De sancto Bartholomaeo.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Hic athleta Dei
donatus laude trophaei,
Quem docet orbe coli,
laudat in arce poli.

Ad Magnificat.

A. Orbis, ovans evigila,
Sanctis insiste plausibus,
Exsulta, gaude, iubila
Totus in Christi laudibus,
Bartholomaei precibus
Hostem antiquum ventila,
Ut omni fraude mutila
Laeteris in caelestibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Verum lumen de lumine
Pari colamus numine,
In quo praefulgent inclita
Bartholomaei merita.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Miserante
Christi clementia
Fidem rectam
suscepit India
Et culturam
detestans idoli
Confirmatur
verbis apostoli.

2. Haec magorum
capta praestigiis
Tenebatur
subiecta vitiis,
Sed errorum
relicto tramite
Sacrae legis
fovetur fomite.

3. Non est ausus
coram apostolo
Quidquam loqui
daemon ab idolo,
Licet sese
multi conciderent
Et incassum
votis insisterent.

4. Spes aegrorum
frustratur penitus,
Daemon silet
ligatus caelitus,
Stat totius
plebis consilium
Implorare
Berith auxilium.

5. Templum Berith
intrantes nuntii
Causam quaerunt
huius dispendii,
Se passurum
verens similia
Maestis dedit
responsa tristia.

6. Deus vester
miser obmutuit
Et ligatus
catenis iacuit,
Ex quo miles
caelestis regiae
Fines visit
huius provinciae.

Responsoria.

1. Tactro quidam
plenus daemonio,
Suum voce
fassus incendium,
Viri Dei
iussus imperio
Male sonans
suppressit labium;
Mox ab ipso
fugit daemonium
Nec est ultra
secuta laesio;

V. Hoc operata Dei
manus est per Bartholomaei.

2. Energiae
vexata rabie
Regis nata
vinclis adstringitur,
Provisurus
eius miseriae
Patienti
sanctus compatitur,
Quo mandante
puella solvitur;

V. Sic vitium mentis
pepulit censura medentis.

3. Rex ignarus
boni gratuiti
Gemmis, auro
camelos onerat,

Ut per doni
vices exhibiti
Christi servo
re grates referat,
Ergo tanti
devote properat
Compensare
mercedem meriti;
V. Transgreditur legis
metas intentio regis.

4. Non invento
viro Polymius
Suis aera
gazis restituit,
Cui vir idem
iam dudum conscius
In secreto
domus apparuit
Et in fide
prudenter imbuit,
Vitae verbum
spargens diffusius;
V. Rex memori clausit
in mente, quod auribus
hausit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum describi
cultores idoli
Sibi poscunt
vultum apostoli,
Mox addiscunt
et annos temporis
Et eiusdem
mensuram corporis.

2. Niger crinis, alba caro,
Barba longa, cano raro,
Aequae nares et directae,
Aures crine suo tectae.

3. Est aequalis in statura,
Mediocris in mensura,
Vestis eius sordem nescit
Nec per tempus veteresceit.

4. Frequentata
genuum flexio
Iugi Christum
pulsat suffragio,
Nam per noctes
et dies singulos
Suos ei
commendat famulos.

5. Angelorum
sancta societas
Veri Dei
conservat semitas,
Per quos tutus
ubique redditur,
Sic nec sitim
nec famem patitur.

6. Cuncta novit,
cuncta considerat,
Universis
donis exuberat,
Omnes habens
linguas in habitu
Ipsum sancto
replente spiritu.

Responsoria.

1. Compellente
Christi discipulo
Duros daemon
mugitus edidit,
Coram rege
cunctoque populo
Suae fraudis
commenta prodidit
Dicens: vivus
in mortem incidit,
Quisquis nostro
credit oraculo,
V. Tendit ad infernum
perdens diadema supernum.

2. Resipisce,
cruenta civitas,
Iam tenere
foedus cum idolo,
Sed a Christi
discas discipulo,

Quid sit fides,
quid spes, quid caritas,
Ut te servet
superna veritas,
Ne damneris
cum hoste subdolo;
V. Sit tibi sincera
mens, sit confessio vera.

3. Doctor verus ait turbae:
Deum verum cognoscite,
Si salvi esse cupitis,
Simulacra conteratis;
V. *Quoniam omnes dii gentium daemonia, Dominus autem caelos fecit.*

4. Indignata
sermone belluae
Plebs adclamans
in eam irruit,
Vincla nectit
ad collum statuae,
Tractu pronus
Astaroth corruit,
Idem daemon
ipsum comminuit
Potestate
vocis mellifluae;
V. Quam male possedit,
bene pulsus ab aede recedit.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Revertentes,
qui missi fuerant,
Singulorum
vultus considerant,
Duum tamen
dierum circulo
Dato sibi
carent oraculo.

Responsoria.

1. Multitudo
magna iacentium,
Hostis laesa
furore rabidi,
Sanitatis
sumpsit remedium
Interventu
pastoris providi,
Mox astantes
pro visis stupidi
Laeti laudant
factorem omnium;
V. Effectus morbis
curavit conditor orbis.

2. De supernis
legatus veniens
Miro lenit
splendore populos,
Qui volatu
fanum circuiens
Signum crucis
sculpsit per angulos
Consecrando
recessus singulos
Et deorum
larvas eiciens;
V. Omnibus est visus,
quem misit eis paradisus.

3. Sancte Bartholomaee,
Christi apostole,
Indorum doctor egregie,
Nostris aurem
clamoribus appone,
Ut tuo ad Dominum
sustentati iuvamine,
Tui concives
mereamur et adesse;
V. Intercede pro nobis
ad Dominum, gloriose
Dei amice,
ut ipsius gratia largiente
Tui concives
mereamur et adesse.

4. O militis praedicanda
Fides virtus et gloria,
Qui vivens decoriatus
Et capite tandem caesus

Iam victima munda factus
Caelos scandit laureatus,
V. Cuius, Christe, per merita
Ab occultis nos emunda.

In Laudibus.

Antiphonae.

A. Rex regnare
volens perenniter
Virum Dei
poscit humiliter,
Ut ablutus
aqua baptismatis
Imbuatur
dono charismatis.

Ad Benedictus.

A. Sub Astrige
coronam meruit
Venerandus
Christi discipulus,
Primo fustes
et post exhibuit
Ensem collo
percussor aemulus;
Quem defunctum
fidelis populus
In sepulcro
psallens deposuit,
Ubi templum
fundare studuit,
Quod illustris
perornat tumulus.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Regis proles
et uxor regia
Iubilantes
cordis laetitia,
Candidatae
baptismi vestibus,
Fidem servant
inpressam cordibus.

Ad Tertiam.

A. Vigilantes
in lucis opere
Deum verum
sequunter libere,
Et quo magis
optata sitiunt,
Hac plenius
ea suscipiunt.

Ad Sextam.

A. Benedictus
largitor gratiae,
Qui de nervis
huius miseriae
Et de dolo
furentis idoli
Traxit Indos
verbis apostoli.

Ad Nonam.

A. Rex Indorum,
plebes et principes,
Sacrae legis
facti participes,
Exsultantes
percepta gratia
Christo mentes
parant cubilia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O virtutis
lux apostolicae,
Solis iubar,
caeleste speculum,
Omnes clemens
astantes respice,
Clerum rege,
conserva populum,
Ut post huius
mortis articulum
Resurgentes
in stola duplice
Repromissum
cenae dominicae
Convivantes
sumamus epulum.

Brev. ms. Trebnicense saec. 15. Cod. Wratislavien. I O 94. — In 1. Vesp. Von den 4 **AA** super Ps. sind drei prosaisch. Ad Magn. **A**, 4 Totis. — Ibid. 7 fraude vincula. — In 1. Noct. **R** 2, 4 vinculis. — In 2. Noct. **A** 1, 1 discribi. — **R** 2, 14 confessio pura. — In 3. Noct. **R** 2, 3 levit. — Die **AA** per Horas gehören ursprünglich in die Laudes; überhaupt scheint die monastische Form dem Officium nicht ursprünglich, da nach Entfernung der Teile mit abweichendem Versbau gerade das Material zu einem Officium formaë brevioris erübrigt.

51. De sancto Basilio.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Celsum votis eximiis
Antistitem Basilium
Colamus, qui prece miti
Daemoni eripiens,
Quem mox involvit hamus,
Obtinens chirographum
Denegata Christi fide,
Scriptum reddi per dolivagum
Eiulantem, se fore devictum;
Annotatum facinus
Delens defunctus
Praesul benedictus,
Iudaeus catechizatus
Mire per ipsum
Caelis est addictus;
Precamur ergo cernui
Sordes tuis praesidiis deleri,
Sacer o Basili, Christum
Exora nostri misereri.

R. Ephraem iusto sanctus
In visu claruit
Ut columna candens
Caelum attingendo,
Quod stupens mente
Revolvendo
Tacuit facti veritatem
Experiendo;
V. Linguam eius
cernens ut ignitam,
Angelicam in eo
perpendens vitam
Fit certus in credendo.

Ad Magnificat.

A. Patris beati
Spiritus Basilii
Deum votis iugibus
Magnificavit,
Qui abdicans se
Blandimentis saeculi,
Ad superna verbis, factis
Laetus aspiravit.
Preces effunde
Tuis pro supplicibus,
Ut partem, quam elegeras,
Sectentur, resecatis
Huius mundi duplicibus
In aevum tecum
Feliciter laetentur.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ad celsa sollemnia
Basilii venite,
Qui gubernavit omnia
Hic in terris rite.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In cathedra
non sedit pestilentiae,
Qui pollebat
fervore clementiae,
In Dei lege
mens eius stabilita,
Precibus, ieiuniis,
doctrinis vita
Fuit eius polita.

2. Non fremuit nec coluit
Inania,
Resecans, quae docuit
Vesania,
Domino servivit
in timore,
Caeli sedem adeptus
in honore.

3. Christus caput
eius exaltavit,
Dum in excelsis
cellam fabricavit,
Renuntians hic saeculo
Addictus est
trinitatis speculo.

Responsoria.

1. Ab Arrianis
Vir Dei captam ecclesiam
Pastoralis contactu baculi
Recuperavit,
Christianis,
Reddens hanc basilicam
Ad laudem Dei, quam
Multiplicavit

V. Hymnorum concentibus,
Fidelis piis mentibus
Plebs hanc frequentavit.

2. Captum hamo daemonis
Fidem Christianam
Abiurantem
Verbis sacri canonis
Eripuit ad summa
Propalantem;

V. Cum eiulatu
daemon chartam reddidit,
Quam liberato
praesul pius exhibuit
Noxia patrata continentem.

3. Domino fidelis
gratias plebs reddidit,
Videns almi praesulis
virtutum sanctitatem,
Quas in conventu omnium
mire Deus ostendit,
Ob quod eius adoraverunt
proni bonitatem.

V. Uxori laetus
redditur maritus,
A matrimonio
qui iudicatus quitus
Fuit propter iniquitatem.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sacrificavit sacrificium
Iustitiae, terrestrium
Spem adaequans maestitiae.
In pace requiescit,
Cui mundus vilescit.

2. Clamorem eius
Christus intellexit,
Dum ab imis
ipsum sursum vexit,
Ubi nulla maestitia
Sed in aevum
cernitur laetitia.

3. Minuisti
Paulo minus ab angelis
Basilium, dum vestisti
Sandaliis,
In tuo dum amore
Vixit hic sine torpore.

Responsoria.

1. Confiteri facinus,
Quod os et cor erubuit,
Scriptum pater almus
Iam defunctus abolevit,
Mens peccatricis
Visa charta gaudiis intumuit,
In spe dilectionis
Dulciter requievit,

V. Deo grates referens
iucunda,
Quod prius contrectabat
furibunda,
Spurcitiis
pro viribus plus cedit.

2. Felicis hora dum transitus
adpropinquaret,

In foribus mortem esse
Iosephque indicaret,
In spiritu
Basilius medici
Cognoscens iudicium
Ad eum inquit:
Non tam cito
imminet exitium;

V. Hodie sol cum sole occidet,
Iudaeus Ioseph fatur;
Praesul pius dixit: Non,
sed tempus prorogatur.

3. Ad medicum
Blando sermone
Praesul beatus
Ait Basilius:
Ad horam si vixero
Cras nonae, quid erit
Dic mihi concitius?
Quod hortaris faciam,
Hoc si contingat, pater;
Invenisti gratiam,
Basilius respondit,
care frater.

V. Praesul vixit, ut narravit,
Iosephque catechizavit,
Sic lucri Deo medicum
Fecit et angelicum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctus in tabernaculo
Tuo, Deus,
laetus requiescit
Mundique piaculo
Resistens
inquinamenta nescit.

2. Eius desiderium
Animae
sibi tribuisti,
Terrenum dum imperium
Vincendi
robur ei contulisti.

3. Memor eius, Deus, fuisti,
Hunc ad te dum allexisti
Mira pietate
Contempta vanitate.

Responsoria.

1. Fallentem mundum vincere
Supplices
fac tuos, pater pie,
Quae sursum sunt, elicere,
Non, quae inquinant, sectari
huius blandimenta viae.

V. Labe respersos exue,
Ad te reflexos indue
Salutis vestimento,
Fidei fulcimento.

2. Te colentes pio corde
Nos conserva sine sorde,
Ut sinceris monitis,
Non mentibus attonitis,
Te sequi mereamur,
Licitis utamur.

V. Doctrinae tuae favum mellis
Nos gustare, fac, ne fellis
Acerbitas inficiat
In Christi laude,
sed mens nostra proficiat.

3. O confessorum
lampas lucens clare,
Basili, doctor
praecelse, care,
Nostris in angustiis
Tuum praesta levamen,
Caeli nos iunge nuptiis,
Almum ubi propinatur
flamen.

V. Basili pater,
pontifex egregie,
Post mortem
applica nos regiae,
Quae ducit ad empyreum
Regni caelestis solium.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Domum tuam, Domine,
Praesul talis decebat,
Qui in tuo nomine
Fidem rectam augebat.

2. Portas eius introivit
In confessione,
Caelum quapropter adivit
In exsultatione.

3. Labiis laetitiae
Deum exaltavit,
Mundum maestitiae
Praesentem adaequavit.

4. Ore, corde praesul Deum
Almus benedixit,
Mundum spernens, hostem saevum,
Quibus maledixit.

5. Sanctorum in ecclesiis
Deo laudes novas canebat,
Dum egentium inediis
Basilius ut pater succurrebat.

Ad Benedictus.

A. Suae plebis Dominus
Redemptionem pie visitavit,
Dum ad regendum comminus
Eum praesulem adoptavit,
Qui sedentem in tenebris
Doctrinae pastu populum refecit,
Sit dies eius celebris,
Qui tam mira miranda perfecit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O laudabilem per omnia
Basilium per saecula,
Ob cuius praecelsa merita
Nostra pientur famina
Ducamurque ad gaudia
Sanctorum perennia.

Brev. Misnense imp. Lipsiae (?) 1517. A. — Diurn. Misnense imp. Lipsiae 1511. B. — In 2. Noct. 2, 12 Ioseph factus A.

52. De sancto Benedicto.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Praeclarum late
tibi, vir sine fine beate,
Nomen non fictae
fidei manet, o Benedicte.

2. Membra specu claudis,
quo factus es hostia laudis
Carnem districte
dum frenas, o Benedicte.

3. Hic probris actus
tumidisque peripsima factus
Iam noys invictae
palmam geris, o Benedicte.

4. Instar tu Christi
patiens ad cuncta fuisti,
Pacis et indictae
cultor pius, o Benedicte.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

Magna semper et praeclara
Deum decent praeconia,
Cuius igne spernens mundum
Fulges in turba caelitum,
O confessor Benedicte,
Vota servorum suscipe.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ut Christo celebri
iubilemus laude, venite,
Qui dedit aeternae
Benedicto gaudia vitae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Benedictus tam nomine
Quam gratiarum munere
E Nursia progenitus
Claris fulsit parentibus.
2. Hic ergo Romae traditus
Disciplinis scholaribus,
Nil scire duxit commodum,
Nisi crucis mysterium.
3. Mundum suis cum floribus
Scienter sprevit nescius
Iesuque ferens stigmata
Speluncae petit abdita.
4. Sanctum Romanus habitum
Dat illi, fert subsidium,
Sed magister invidiae
Saevit in illum lapide.
5. In specu, sub quo latitat,
Dei miles se cruciat,
Sed rex mundi, cui militat,
Hunc sacerdote visitat.
6. Athleta Dei gravibus
Poenis urens exterius
Hostis in mente iacula
Igne exstinxit ignea.

Responsoria.

1. Florem mundi periturum
Despexit tamquam aridum,
Ut floreat in aeternum
Benedictus ante Deum,
V. Pennas sumens ut columbae
Recessit gaudens requie.
2. Puer fletum subsecutae
Consolatus nutriculae,
Vas, ubi prece solidat,
Fugit, ne laude pereat,
V. Elongatus a nutrice
Mansit in solitudine.
3. Agnosce, Dei famule,
Surrexit Christus hac die,
Adsunt, quas misit, epulae,
Cuius amore percipe;
V. Haec dies, quam fecit Deus,
In qua, iubet, exsultemus.
4. Electo grex mortiferum
Patri ferebat poculum,
Sed vir Dei signo vitae
Vas rupit tamquam lapide;
V. Intenderunt arcum suum,
Ut perderent innoxium.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iam latius innotuit,
Quasi lampas emicuit,
Sic Benedictus celebris
Frequentatur a populis.
2. Eius ergo sub tramite
Multi dum certant vivere,
Locis florent duodenis,
Fulget ipse miraculis.
3. Hic non impar Elisaeo
Ciet ferrum de profundo,
Sensus et corda perspicit,
Praesens absentes arguit.
4. Maurus verbo currens patris
Petri fertur vestigiis
Super liquens elementum
Mersumque trahit Placidum.
5. Favent cuncta Benedicto:
Vas sponte manat oleo,
Fugit vita, spernit terra
Eius privatum gratia.
6. O quanta plenus gratia
Respectu rumpit vincula,
Sedens curvat imperia
Benedictus per saecula.

Responsoria.

1. Servus Dei Benedictus
Stetit misertus illius,
Qui clamitabat: o meum,
O redde, redde filium!
V. Orans iacentem suscitat,
Reddit patri, qui clamitat.
2. Benedictus quam devotas
Deo solvebat gratias,

Ire videns ut columbam
Caelo sororis animam;
V. Uterque duxit gaudia,
Soror caelo, hic in cella.

3. O Israelita verus,
Cor in Deum dilatatus,
Qui infra se angustatam
Vidit omnem creaturam,
V. Caelo quoque ferri sanctam
Germani cernens animam.

4. Alme pater, qui praescius
Tui sacrati transitus
Hunc praenotasti fratribus,
Tuere nostros exitus.
V. Per te ducem clarissimum
Ut transeamus ad Deum.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Benedictum propheticis
Condecoremus canticis,
Qui tam fulsit prophetia
Quam et doctrinae gratia.

Responsoria.

1. Grandi pater fiducia
Morte stetit pretiosa,
Qui elevatis manibus
Caelos scandit in precibus.
V. Fecit, Christe, quod iussisti,
Te secutus spe praemii.

2. Fratribus illuxit
Benedictum quae via duxit
Usque caelum surgens
et multa lampade fulgens,
V. Virque super candens
micuit, quae sit via, pandens.

3. Ecce, iam cari noscite,
Quam claro scandit tramite
Benedictus ad sidera,
Qui hic reliquit omnia;
V. Accepit ergo centuplum
Et vitam in perpetuum.

4. Gloria, Christe, tuo
tibi personet in Benedicto,
Quem faciens tecum
sanctis regnantibus aequum
V. Iam, quibus aequasti,
gaudentibus associasti.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Armis praecinctus
verae fidei Benedictus,
Idola dum stravit,
sedem tibi, Christe, paravit.

2. Huic iubilate, quo pater iste
Par fit Eliae, par quoque Moysi,
Dum lapis illi flumina fundit,
Corvus obaudit.

3. Quemquam non laesit,
post te, dominator, adhaesit,
Utque David doluit,
hostis ut occubuit.

4. Laus puerilis hunc benedicit,
Qui puerorum per Benedictum
Corpora vitae trinus et unus
Trina reformat.

5. Tympana laeta chori
mens consona concinet ori
Ac Dominum laudet,
quo servus in aethere gaudet.

Ad Benedictus.

A. Benedictus es, Domine,
Qui, Benedicti animae
Dum caeli confers gaudia,
Glorificas terris membra,
Dum et specu, quo latuit,
Per te virtus emicuit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O caelestis norma vitae,
Doctor et dux Benedicte,
Cuius cum Christo spiritus
Exsultat in caelestibus,
Gregem, pastor alme, serva,
Sancta prece corrobora,
Via caelos clarescente
Fac te duce penetrare.

Brev. ms. Admontense anni 1180. Cod. Admonten. 18. A. — Brev. ms. S. Maximini Treviren. (?) saec. 12. Cod. Londinen. Add. 18496. B. — Brev. ms. Lunaelacense (?) saec. 12. Cod. Palat. Vindobonen. 1890. C. — Brev. ms. Engelbergense saec. 12. Cod. Engelbergen. 42. D. — Brev. ms. Engelbergense saec. 12. Cod. Engelbergen. 103. E. — Brev. ms. Mellicense saec. 13. Cod. Mellicen. 1677. F. — Brev. ms. Murbacense saec. 13. Cod. Colmarien. 36. G. — Antiph. ms. Augiense saec. 12. Cod. Carolsruhan. Aug. 60. add. saec. 13. H. — Brev. ms. Gengenbacense saec. 13. Cod. Carolsruhan. Geo. 22. I. — Brev. ms. Schwarzbacense saec. 13. Cod. Carolsruhan. Schw. 2. K. — Antiph. ms. saec. 13. Cod. Guelfenbyteran. Helm. 982. L. — Brev. ms. Cisterciense saec. 13. Cod. Stuttgartien. 1b 89. M. — Brev. ms. Vedastinum saec. 13/14. Cod. Atrebaten. 676. N. — Brev. ms. Epternacense saec. 14. Cod. Luciliburgen. 12. O. — Antiph. ms. Salemitanum anni 1318. Cod. Heidelbergen. X. 6. P. — Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Pianoren. M 1. Q. — Brev. ms. Farense saec. 14. Cod. Mazarin. 349 (761). R. — Brev. ms. Cellae Principum saec. 14. Clm. Monacen. 7213. S. — Antiph. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Pragen. XII C 7. T. — Brev. ms. Langhemense saec. 14. Cod. Bambergen. Ed VII 11. U. — Brev. ms. S. Magni in Faucibus saec. 14. Cod. Maihingen. II 1. 4° 7. V. — Brev. ms. Murbacense saec. 14. Cod. Colmarien. 430. W. — Brev. ms. Augiense saec. 14. Cod. Carolsruhan. Aug. 206. X. — Brev. ms. S. Georgii Villingen. saec. 14. Cod. Carolsruhan. Geo. 6. Y. — Noct. ms. Benedictinum saec. 14. Cod. Doneschingen. 321. Z. — Brev. ms. Murense saec. 14. Cod. Araugien. M 7 q. Aa. — Brev. ms. Ebracense saec. 14. Cod. Wirceburgen Mp. th. p. 42. Bb. — Antiph. ms. Eremitense saec. 14. Cod. Eremiten. 612. Cc. — Brev. ms. Ebracense saec. 12. Cod. Wirceburgen. Mp. th. f. 110. add. saec. 14. Dd. — Noct. ms. Altovadense saec. 15. Cod. Altovaden. 29. Ee. — Brev. ms. Sitanstettense anni 1496. Cod. Sitanstetten. CXXVIII. Ff. — Brev. ms. S. Georgii Pragen. saec. 15. Cod. Pragen. VIII B 9. Gg. — Brev. ms. Heilbrunnense saec. 13. Cod. Erlangen. 454. add. saec. 15. Hh. — Brev. ms. Velehradense (?) saec. 15. Cod. Olomucen. II V 6. Ii. — Brev. ms. Griesense saec. 15. Cod. Griesen. 43. Kk. — Antiph. ms. Epternacense saec. 15. Cod. Luciliburgen. 105. Ll. — Brev. ms. S. Bonifatii Fulden. saec. 15. Cod. Fulden. Aa 81. Mm. — Brev. ms. Benedictoburanum saec. 15. Cod. Augustan. s. n. Nn. — Brev. ms. SS. Udalrici et Afrae saec. 15. Cod. Augustan. Fol. 99. Oo. — Brev. ms. Zwiefaltense saec. 15. Cod. Stuttgartien. 1b 106. Pp. — Brev. ms. Blauburanum saec. 15. Cod. Stuttgartien. HB. I Asc. 111. Qq. — Brev. ms. Murense saec. 15/16. Cod. Araugien. M 9 f. Rr. — Antiph. ms. Fischingense saec. 15. Cod. Frauenfelden. Y 36. Ss. — Brev. ms. Rhenoviense saec. 15. Cod. Turicen. Rhen. 60. Tt. — Antiph. ms. Rhenoviense saec. 15/16. Cod. Turicen. Rhen. 3. Uu. — Brev. ms. Monasticum saec. 15. Cod. Eremiten. 84. Vv. — Brev. ms. Langhemense anni 1500. Cod. Bambergen. Ed. VI 8 Ww. — Brev. ms. Langhemense saec. 14. Cod. Bambergen. Ed. VI 10 add. saec. 15. Xx. — Brev ms. Heilsbrunnense saec. 15. Cod. Erlangen. 704. Yy. — Brev. ms. Langhemense anni 1465. Cod. Bambergen. Ed. VI 6. Zz. — Brev. ms. S. Magni in Faucibus saec. 15. Cod. Maihingen. II 1. 8 9. Aaa. — Brev. ms. Kirchhemense saec. 15. Cod. Maihingen. II 1. 8° 15. Bbb. — Brev. ms. Augiense saec. 15. Cod. Carolsruhan. Aug. 262. Ccc. — Brev. ms. Lamprechtense saec. 15. Cod. Doneschingen. 313. Ddd. — Diurn. ms. Altovadense saec. 15. Cod. Altovaden. 7. Eee. — Brev. ms. Ruperti de Montreal anni 1506. Cod. Epternacen. s. n. Fff. — Brev. ms. S. Crucis in Werdea saec. 15. Cod. Maihingen. II 2. 4° 30. Ggg. — Brev. Frisingense anni 1479. Cod. Esten. X II 1. Hhh. — Brev. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Stuttgartien. HB I Asc. 109. Iii. — Brev. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Doneschingen. 315. Kkk. — Brev. ms. Opatovicense saec. 15. Cod. Palat. Vindobonen. 1962. Lll. u. a. m.

Die unter Hhh Iii und Kkk genannten Quellen haben das Officium in der kürzeren nichtmonastischen Form, die bei diesem Officium natürlich

nicht in Betracht zu ziehen ist. Bei der grofsen Anzahl der Quellen ist es unmöglich, bei der guten Überlieferung des Textes unnötig, die Varianten zu verzeichnen, die lediglich Nachlässigkeiten der Abschreiber darstellen würden. Von Belang ist nur, dafs das Officium bald zum Hauptfeste des Heiligen, bald zu dessen Translation, bisweilen „in Commemoratione s. Benedicti“ steht, sowie, dafs die **AA** der ersten Vesper bald in dieser, bald in der zweiten Vesper ihren Platz haben, bald auf die kleinen Horen verteilt erscheinen. Die 1. Vesper beginnt dann entweder mit der **A**: Magna semper et praeclara oder mit nur einer **A** super Ps.: Exsultent omnium corda fidelium pro gloria almi patris Benedicti etc. Einige Hss. u. a. F setzen zur Vesper folgendes **R**:

R. Beatus Dei famulus
Magnum fecit miraculum,
V. Primum in partes divisum
Reiunxit capisterium.

In der 2. Vesper findet sich in denselben Quellen das **R**:

R. Aquam de montis vertice
Ferrum de profundo gurgite
V. Et Placidum de flumine
Traxit per pensilem.

In einigen Hss. wird das Officium als „historia nova“ bezeichnet: so HR: „De sancto Benedicto novae historiae cantum quaere in principio“; „Novam historiam de sancto Benedicto quaere post cantica in fine libri“ Xx. Diese Neuheit ist relativ zum älteren Benedictusoffieium zu verstehen. Auf dasselbe Schema wie dies Officium ist das des hl. Colomannus (Anal. XIII, Nr. 34) gearbeitet. Bei der grofsen Verbreitung der historia ist auffallend und bedauerlich, dafs der Verfasser nicht bekannt zu sein scheint.

53. De sancto Benedicto.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

1. Fuit re et gratia
Homo benedictus,
Vir, qui nunc in patria
Sanctus est et iustus.
2. Nursiae provincia
Dedit hunc alumnum,
Vicit puer vitia,
Zabulum et mundum.
3. Quem Romanus suscipit
Sub Adeodato,
Aqua, pane reficit
Signo resti dato.
4. Ille nequam spiritus
In calculis iactatis
Fregit signum invidus
Huius caritatis.
5. Sed Romanus destitit
Nusquam ab incepto,
Nec sacerdos defuit
Die Paschae festo.

Ad Magnificat.

A. O decus ecclesiae
Et honoris vasculum,
O pater clementiae,
Tu dux, tu lux, speculum
Regularis vitae;
Exemplum munditiae,
Veritatis calculum,
Aratrum iustitiae,
Contempsisti saeculum,
Sancte Benedicte.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Collaetetur ecclesia,
Benedicto congaudeat
Et dicat:

Suscipe nos in gloria,
Christo regi complaceat,
Ut fiat.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In viam non abiit
Iste peccatorum,
Meditari voluit
Legem mandatorum.

2. Insensati impii
Quare fremuerunt?
Potum mortis filii
Patri tribuerunt.

3. Vitrum fregit famulus,
Domini est salus,
Fuso viro monachus
Hebetatur malus.

Responsoria.

1. Quando pater filiis
Per natum dat pacem,
Orbis actis circulis
Quadringentis decem,
Satanas cum vitiis
Se parat ad necem;
V. Benedictus mittitur,
Novis armis utitur,
Novum portat ensem.

2. Fides firma clipeus,
Caritas lorica.
Lancea spes, balteus
Pietas amica,
Aqua fluit rivulus
Paupertas cupita;
V. Vilem vestit paenulam,
Sacram scripsit regulam
Verba dat mellita.

3. Multitudo militum
Sequitur hunc ducem,
Christum regem agnitum
Atque veram lucem
Profitentur, deditum
Morti super crucem;
V. Horum vita saeculum
Lucet, mundo poculum
Propinat felicem.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sanctum suum Dominus
Hunc mirificavit,
Quem in caelo plenius
Cum glorificavit

2. Scuto Dei genitus
Bonae voluntatis
Suae, quo sum agnitus,
Induit me gratis.

3. Ex ore lactantium
Perfecisti laudem,
Ut mos est infantium,
Hic non fecit labem.

Responsoria.

1. Ales, dictus merula,
Dum vacaret gratia
Contemplationis,
Nigra volat garrula,
Sed carnalis nuntia
Est temptationis;
V. Mens perhorret vitia,
Hanc fugat propitia
Virtus passionis.

2. Placidum discipulum
Hinc per Maurum sedulum
Traxit de procella,
In patrem et filium
Propter hoc miraculum
Pia surgunt bella;
V. Per patris oraculum
Tollitur piaculum,
Dum orat in cella.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic vir sine macula
Vixit Deo suo,
Manet nunc in gloria
Monte sancto tuo.

2. Benedictionibus
Tuis praevenisti
Sanctum, quem in omnibus
Tu benedixisti.

3. Innocens hic manibus
Atque mundo corde
Nusquam vanitatibus
Se dedit aut sorde.

Responsoria.

1. Pater hic apostoli
Perficit officium
Et prophetae nomen,
Inquire vas olei,
Defensoris filium
Et qui fert flasconem,
V. Feminas ex nobili
Genere, sed clericum
Et regis tironem.

2. Eius pater exitum
Nuntiavit filiis,
Mox correptus febribus
Vitae panem sumit,
Post haec flavit spiritum,
Caeli iunctus liliis
Et supernis civibus
Vitae vitam unit.
V. Post ipsius obitum
Viam stratam palliis,
Nitentem lampadibus
Binus frater cernit.

3. Sanctus hic descenderat
Videre Scholasticam,
Cum abire voluit,
Illa supplex rogat;
Iam caput levaverat,
Sentit pater pluviam,
Quae tantum invaluit,
Quod manere cogat;
V. Post tres dies penetrat
Caelos soror caelica,
Istud sancto patuit,
Quando Deum orat.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Benedictus petere
Desertum decreverat
Nullo sese noto,
Quem nutrix deserere
Profecto non poterat
Mundo spreto toto.

2. Petit capisterium
Pro purgando tritico
Nutrix a vicina,
Quod incaute positum
Fractum sanat illico
Virtute divina.

3. Hic nutrice inscia
Fugit et incognitus
Mansit annis tribus,
Quem divina gratia
Pavit atque modicus
Hic Iohannis cibus.

4. Sed Christus presbytero
Paranti convivio
In paschali festo
Ait: meo puero
Confecto ieiunio
Cibum istum ferto.

5. Surgit hic sollicite,
Virum fine reperit
Cum difficultate:
Surge, mande, non nunc te
Ieiunare convenit
Hac sollemnitate.

Ad Benedictus.

A. Gaude, felix anima
Benedicti, quoniam
Fusam lucem desuper
Cunctas noctis tenebras
Fugasse vidisti,
Et Germani animam
Ferri ad caelestia
Sororisque, radio
Ante tuos oculos
Mundum conspexisti.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sanctus hic miraculis
Atque vitae radio
Mundo dat splendorem,
Patuit in filiis
Patris gloriatio,
Inde dat honorem
Christo, sed in aliis
In Iesu servitio
Excitat ardorem;
Benedicte, famulis
Tuis fac in odio
Saeculi amorem,
Dona, quod cum caelicis
Omnibus perpetuo
Cernamus factorem.

Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Rossian. s. n. — In 2. Noct. R 2, 2 Hunc per Maurum. — R 2, 7 An patris oraculum. — R 3 ist durch Beschädigung verloren; nur der V. ist noch vorhanden:

V. Non huius hic inscius
Corvo mandat ocius,
Longe tollat eum.

In 3. Noct. A 1, 2 Vixit de suo. — R 2, 6 vinctus liliis. — In Laud. A 3, 6 His Iohannis. — Das Officium folgt dem Schema des Antonius-Officiums Anal. V, Nr. 42. Zu demselben gehört der Hymnus: Christe verum lumen patris, Anal. IV, 106.

54. De sancto Bernhardino.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Senarum civis inclitus,
Superna luce praeditus,
Bernhardinus prudenter
Semper amare studuit
Christum Iesum, quem docuit
Revereri decenter.

2. Vivens in innocentia
Sanctus hic ab infantia
Se Deo consecravit,
Tandem donis caelestibus
Eius bonis operibus
Hunc Deus praedotavit.

3. Hic prudens mundi speciem
Perpendens velut glaciem
Labiliter dissolvi,
Confestim hanc deseruit,
Se sibi nec inseruit
Nolens a Deo solvi.

4. Francisci cinctus cordula
Contectusque tunicula
Pompam mundi reiecit
Eiusque vitans prospera
Regnum Dei per aspera
Promerendum coniecit.

5. Dignitatum insignia
Recusat et fastigia
Bernhardinus honorum,
Nam, Christo ut se praebuit,
Se minimum exhibuit
In ordine minorum.

Ad Magnificat.

A. O doctor egregie,
O praedicator gratiae,
Tu vas electionis
Fore meruisti,
Salvatoris praedicans
Eiusque cunctis indicans
Summae dilectionis
Nomen Iesu Christi;
Ex te salus populi,
Per te labentis saeculi
Remittuntur criminum
Sordes praedicando,
Pater o Bernhardine,
Horum sis memor in fine,
Qui te poscunt, Dominum
Pro his deprecando.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iesus, salvator divinus,
Veneretur decenter,
Quem beatus Bernhardinus
Praedicavit ferventer.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Datur in lucem gentium
Bernhardinus a Deo,
Illustratorque mentium
Requievit in eo.
2. Adflatus sancto spiritu
Vivendo formam dedit,
Praecavens ab interitu
Culpae, quae mentem laedit.
3. Virtutum multiplicitas
Probitas atque morum
Commendat hunc, ac veritas
Sanctum refert signorum.

Responsoria.

1. Devotus Christi confessor,
Bernhardinus Senensis,
Fidei sacrae professor
Eiusque firmus ensis,
Apud Deum intercessor
Sit pro nostris offensis,
V. Doctrinae Pauli successor
Menteque Iesu professor
Nunc precibus impensis.
2. Sanctus hic a principio
Datur literaturae,
Qui iugi vacans studio
Sensum capit scripturae,
Sic lucis huius radio
Se confert vitae purae,
V. Mundum hunc habens taedio
Minores replet gaudio
Se suae subdens curae.
3. Huius sacris influxibus
Plebs devota creatur,
Virtuosisque moribus
Eius mens illustratur,
Et languidis corporibus
Medela mox praestatur;
V. Cunctis ad sanctum precibus
Devote fusis tristibus
Solamen statim datur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cor mundum sanctus habuit
Ab aetate primaeva
Nec obliquari debuit
Cum huius mundi laeva.
2. Hic carnis supercilium
Legi mentis subiecit,
Se ipsum domicilium
Spiritus sancti fecit.
3. Zelator vitae pauperis
Christi Iesu sacratae
Contemptis mundi prosperis
Adhaesit sibi grate.

Responsoria.

1. Dum minoratur habitu,
Minoratur humilius
Bernhardinus et mente,
Quae continentur ambitu
Sacri status, ut filius
Eius complens attente,
V. Verborum sine strepitu
Promissa plus quam alius
Servavit, sed non lente.
2. Senarum urbis renuit
Urbinique, Ferrariae
Culmen pontificatus,
Sic eius votum tenuit
Statum habens memoriae,
Ad quod fuit vocatus;
V. Hoc facto digne meruit,
Quod nunc in regno gloriae
Cum sanctis sit locatus.
3. Soror migrans a corpore
Matris huius, dum praedicat
Humanae geniturae,
Simul eodem tempore
Adparens sanctus applicat
Eiusdem sepulturae.

V. Vivo sopito tempore
Decessum hunc plebs iudicat
Intentum morituraе.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Francisci carus filius
Nunquam degeneravit
Ab eo, sed in melius
Vitam eius servavit.
2. Pacis cultor amabilis
Pacem praebet divisis,
Sic pace commendabilis
A cunctis fit his visis.
3. Adflictis et pauperibus
Condolens iuxta nosse,
Hos dictis et operibus
Fovebat toto posse.

Responsoria.

1. Stella fulgens
claret in aere,
Quam multa gens
meruit cernere
Super caput
sancti descendere
Duodena
frontis Christiferae.
V. Mirum fuit signum vere,
Quod patuit sic clarere.
2. Alphonsus, rex clarissimus,
Ascribi sanctum monuit
Catalogo sanctorum,
Cui pater sanctissimus
Consensum papa praebuit
Virtute meritorum,
V. Coetus Senarum optimus,
Aquilae cui non defuit
Sed nec ordo minorum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ob sacrae vitae meritum
Et gloriosum exitum
Beati Bernhardini
Personemus alacriter,
Per Christum ut finaliter
Reddamur sancto fini.
2. In caelis sanctus iubilat,
In terris quoque rutilat
Mirandus iste signis,
Sic ei plebs afficitur,
Quae digna mox efficitur
Donis eiusdem dignis.
3. Cunctis praestans auxilium
Mentem movet fidelium
Vir tantus ad orandum,
Iam pergunt per itinera
Secum ferentes munera
Ad eum honorandum.
4. Orbis terrae per climata
Fragrant ut thymiamata
Merita sancti viri,
Suaque sacra dogmata
Mundi pellunt phantasmata
Insani ac deliri.
5. Laudandus est per omnia
Iesum laudans praeconia
Sanctus hic salvatoris,
Cur eius ob sollemnia
Laus sibi cum harmonia
Detur cordis et oris.

Ad Benedictus.

A. O sacer Dei famule,
Bernhardine tu consule,
Quid agendum veraciter,
Ut queamus salubriter
Gratiam mereri,
Qui errantes per devia
Peccatorum direxisti
Quosque salutis in via
Deduxistique gratia,
Quae debet hic quaeri,
Tuis, pater, supplicibus,
Ut ceteris tu fecisti,
Tempus impetra precibus,
Quo possint paenitentia
Peccata deleri.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O virum sanctissimum,
In dictis et operibus
Adflictis et pauperibus
Solamen praestantem,
Defunctis vitam tribuit
Infirmisque praebuit
Virtutem sanantem.
O vere iustissimum,
Qui se tot bonis implicat
Dulcemque plebi praedicat
Iesum voce clara,
Bernhardine, fac inclitis
Tuis privare meritis
Morte nos amara.

Per Octavam.

Ad Benedictus.

A. Sacer Christi Bernhardine,
Nostra cordis suspiria,
Pater, clementer aspice
Nec despice nos in fine,
Legis amator divinae,
Sed a malis nos praeserva
Nostraque desideria
Semper in bonis conserva.

Ad Magnificat.

A. Salve, Iesu fator
et amator normaque morum,
Fervens praedicator
et zelator vani cunctorum,
O Bernhardine,
duc nos ad regna polorum.

Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Parisin. 1049. A. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Parisin. 1314. B. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Parisin. 13244. C. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Parisin. (Arsen.) 101. D. — Noct. ms. Franciscanum saec. 15. ex. Cod. Lugdunen. 476. E. — Brev. ms. FF. Minorum de Brageriaco saec. 15. Cod. Burdigalen. 88. F. — Antiph. ms. Franciscan. Hibern. saec. 15. ex. Cod. Coll. SS. Trinitatis Dublinen. B 1. 2. G. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Mus. Luciliburgen. s. n. H. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1522. I.

In 1. Vesp. **A** 4 fehlt B. — **A** 4, 2 Contentusque AI. — **A** 4, 5 fehlt A. — Ad Magn. **A**, 11 Remittuntur terminum A. — Ibid. 14 in fine fehlt A. — In 2. Noct. **A** 1, 3 Nec liquari B. — **A** 2, 3 In sese I. — **R** 2, 2 Orbinique A, orbemque C. — **R** 2, 4 fehlt A. — **R** 3, 1 Quod soror B; Neptis migrans A. — **R** 3, 2 Mirans huius B, eius C. — **R** 3, 4 Sic eodem A. — **R** 3, 7 Vino sopito tympore A; Bino sopito timpore BI; Sermo sopitus tempore C. — **R** 3, 8 Defensum hunc plebs A; Defessum plebs hunc BI. — In 3. Noct. **A** 2, 3 Sic pacem B, Sic pare A. — **A** 2, 4 sit BC. — **R** 1, 1 clare fulgens C. — **R** 1, 6 sancti desidere AI, decidere C. — **R** 1, 7 Duodeno AI. — **R** 1, 8 fontis Christiferae A, fantis I, faucis B, sanctis C. — **R** 1, 10 Quod potuit B. — **R** 2, 7 Cectus ternarum A: Secus Senarum. Dies **R** fehlt CD, die dafür das folgende einstellen:

R. De sancti patris hodie
Bernhardini virtutibus
Fari libet, quam varie
Diversis in climatibus
Opem praestant cotidie
Defunctis et viventibus;
V. Non cessant nocteque die
Suffragare maerentibus,
Dum sanctum deposcunt pie
Sanari a languoribus.

In I ist dies **R** das zweite der Nocturn, das dritte: Alphonsus rex clarissimus etc. D hat noch ein drittes **R** Romanus quintus antistes Nicolaus etc. prosaisch. — In Laud. **A** 2, 4 plebs efficiat B. — **A** 2, 5 mox efficiat. — Ad Bened. **A**, 10 debuit. — Ibid. 12 tu fuisti C. — Vgl. die zugehörigen Hymnen Anal. XIX No. 135—138 und 139—141.

55. De sancto Bernhardino.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Bernhardinus, vir catholicus,
Et praeco evangelicus
Ecclesiae Romanae
Subiecit se obsequio,
Gens Senae plaudat gaudio
Et urbis Aquilanae.

2. Sub Martino pontifice
Tunc sedis apostolicae
Vexillum triumphantis
Regis ferventer tenuit,
Per illud nomen patuit
Quod Iesu radiantis.

3. Senarum civis panditur,
Hinc agro rosa oritur
Virtute decorata,
Stella praefulget saeculo
Dans iter vitae populo
Mirifice lustrata.

4. Francisci patris regulam
Secutus evangelicam
Professus non transgressus,
Caelorum scandit culmina
Relicta carnis sarcina
Perenniter ingressus.

5. Praedivitis inopiae
Decore pudicitiae
Sublimis observator,
Iussis parere voluit
Sanctumque verbum protulit
Sollemnis praedicator.

Ad Magnificat.

A. O confessor eximie,
Divinae haustor gratiae,
Qui caeli fastigium
Nequam relinquens saeculum
Psallentibus
Tunc ascendisti fratribus:
Pater, manifestavi
Nomen tuum hominibus.
Nos mundi viatores
Ora sectari bonos mores,
Ut liberati
De tenebris miseriae
Iesum quaeramus Dominum,
Qui est vera salus
Et redemptio omnium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi, qui venit caelitus,
Laus, honor sit decenter,
Cui Bernhardinus inclitus
Servivit obsequenter.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic vir in puerilibus
Est annis sapienter
Nutritus bonis moribus
Et usus est frequenter.

2. Tenellus puer satagit
Ad indolem virtutis,
Quem pie Deus dirigit
Ad tramitem salutis.

3. Intemeratae virgini
Devotus supplicatur,
Ut gratia spiritui
Divina largiatur.

Responsoria.

1. Sine parente soboles
Nutrici datur curae
Puer, cui bona indoles
Laudatur vero iure
Et inter mores nobiles
Laudabilis naturae,
V. Aetate coepit tenera
Dare virtutum opera
Pro vitae spe futurae.

2. Humanis plenus legibus
Odit mundi scelera,
Cum virgo nata regibus
Exit matris viscera,
A fratribus minoribus
Tegitur tunicula,

V. Tamquam devotus virginis
Francisci patris humilis
Conditur sub regula.

3. Bernhardinus, hic saeculi
Vir nobilis electus,
Mariae matris Domini
Est gratiam adeptus,
Antequam Seraphici
Fit regulae subiectus,

V. Fit propter innocentiam
Et carnis pudicitiam
Valde Deo dilectus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Magistri normae subditur
Literis imbuendus
Nullisque gestis utitur
Ad noxam pertrahendus.

2. Divino verbo pascitur
Ex ore praedicantis
Zelatorque efficitur
Cuncta Dei creantis.

3. Hic pauperis inopiae
Pie auxiliatur,
A largitore gratiae
Haec virtus illi datur.

Responsoria.

1. Dum puer corde sedulo
Dei auditu patulo,
Verbum audiebat,
De se fit vates publicus,
Dum pueris tam fervidus
Id surgens proponebat;

V. Nam praedilectam habeo,
Amore cuius langueo,
De virgine dicebat.

2. Senarum pia civitas
Saevae pestis iaculis
Letaliter plagatur,
Huius almi pietas
Aegrorum obsequiis
Hilariter moratur,

V. Annunciante virgini
Corde ductus humili
Devote recolatur.

3. In Dei labore fervidus
Convertit reos penitus
De via pravitatis,
Dans meretrices nuptui
Subactas illas fidei
Sub foedus honestatis,

V. Iudaeos veste candida
Ornatque, tegit crimina
Sub fide trinitatis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Amore Dei flagitans
Dat opes temporales,
Mereri se certificans
Post gazas aeternales.

2. Francisci patris habitu
Humillime laetatur
Ac toto vitae transitu
Hoc votum observatur.

3. Perennis vitae gloriam
Ei pastor pollicetur,
Qui trini voti hostiam
Observans profitetur.

Responsoria.

1. O Bernhardine, vitae probitas
Doctrinaeque te laudat veritas,
Teque ornat virtutum nobilitas
Teque prodigiorum claritas;

V. Sacros libros condidisti,
Iesu nomen ostendisti.

2. Dum mundi spretor inclitum
Franciscum imitatur,
In omne opus optimum
Ferventer inflammatur,
Ut sidus mundo fulgidum
Ab omnibus credatur;

V. Propter gratiam sermonum
Observantiamque morum
Hic nomen illi datur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Adsunt nobis sollemnia,
Prodigiis eximia,
In Aquilana urbe
Nutu Dei fulgentia,
Psalle cum reverentia
Fidelis chorus turbae.

2. Christi fides fulgida
Per cuncta orbis climata
A paucis colebatur,
Quam Bernhardinus inclitus
Emissus praeco caelitus
Eandem amplexatur.

3. Hic Christum nocte meditans,
Super salutem vigilans
Suam et viatorum,
Castigat carnis vasculum,
Suae salutis aemulum,
Pro lapsu somniorum.

4. Deum benedic, Italia,
Feraria cum Tuscia,
Quae tenes decoratum,
Tu fratrum minorum proles,
Quae emittis tales flores,
Dic verbum Deo gratum.

5. Laudet rerum opificem,
Qui creatis dat ordinem
Languoribus oppressis,
Quem laudat omnis natio,
Fidelis generatio
Peccatorum conversis.

Ad Benedictus.

A. Gaude, felix Aquila,
Iam intra cuius moenia
Est Bernhardini inclitum
Beati corpus conditum
Fragrans redolenter;
Tu tuae morti proximans
Nutu Dei praevio
Urbem intrasti gratulans,
Multorum caedem civium
Sedans tu clementer,
Virtutibus exuberans,
Innoxiis mentibus
Sis nos, pater, liberans,
Orans pro lapsu criminum,
Nostri memor semper.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O sidus Italiae,
Praeclara proles Tusciae,
Propago gratiosa,
De Christo vite prodiens,
In hac vita aerumnosa
Fuisti lumen oriens,
Super quem praedicantem
Visa est stella
mirae claritatis,
Perduc gregem deviantem
Ad Christum pastorem
summae bonitatis,
O confessor inclite,
Ne pereat interitu,
Heu, saevae mortis amne.

Brev. ms. Franciscanum anni 1492. Clm. Monacen. 23152. A. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Parisin. 1046. B. — Brev. ms. Franciscanum (?) saec. 15. Cod. Londinen. Harl. 2864. C. — Brev. ms. Franciscanum anni 1463. Cod. Oxonien. Miscell. Liturg. 206. D. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI. F 36. E. — Brev. ms. Franciscanum saec. $^{13}/_{14}$. Cod. Casanaten. B VI 26 (250) add. saec. 15. F. — Brev. Romanum imp. s. l. et a. G.

In 1. Vesp. **A** 2, 2 Nunc sedis A. — **A** 3, 2 Hinc fehlt A; rosa panditur AB. — Ad Magn. **A**, 16 fehlt G. — Ibid. 2 actor gratiae. Ibid. 4 delinquens AG. — Ibid. 5 sq. Psallentibus nunc ascendisti fratribus C; Salentibus tunc ascendisti fratribus BG; Psallentibus fratribus tunc ascendisti A. — In 1. Noct. **R** 1, 2 sq. datur cupuere cui A. — **R** 1, 3 boni indoles A. — **R** 1, 8 Dare fehlt A. — **R** 3, 1 hunc saeculi A. — **R** 3 steht an erster Stelle B. — In 2. Noct. **A** 3, 1 Hic fehlt A. — **A** 3, 2 Pie fehlt B. — **A** 3, 3 A languore gratiae et gloriae A. — **A** 3, 4 Haec fehlt A; Virtutis B. —

R 1, 1 Cum puer BC. — R 1, 2 Patuloque mente A. — R 1, 3 Verbum Dei audiebat A: Quod verbum BCD. — R 1, 4 Ecce de se fit vates C. — R 1 steht an zweiter Stelle C. — R 3, 1 dolore A. — R 3, 2 et eos penitus A. — R 3, 5 Subarrhatas illas ABC. — R 3, 8 Ornatique A, Ornat qui B. — In 3. Noct. A 2, 2 Humili A. — A 2, 4 Hoc fehlt A; Hoc totum B. — R 2, 1 spreto A. — R 2, 4 Fit ferventer inflammatum A. — R 2, 6 Tunc ab omnibus A. — R 2, 9 folgt noch Qui dilexit summum bonum A. — In Laud. A 5, 2 Qui tantis dat A. — A 5, 6 Peccatorumque AB. — Ad Bened. A, 2 huius A. — Ibid. 4 Beati fehlt A. — Ibid. 10 Tu sedas tu clementer A; Sedas tu exuberans C. — Ibid. 11 exuberans fehlt A. — Ibid. 12 fehlt A. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 3 O propago D. — Ibid. 5 Ut hac vita B; vita fehlt D. — Ibid. 10 Ad ipsum pastorem A. — Ibid. 14 Heu suae mortis a me A; mortis animae CD. — Diese A steht in A ebenfalls ad Magnificat; in 2. Vesp. findet sich die folgende A:

Splendor pudicitiae,
Zelator paupertatis,
Amator innocentiae,
Cultor virginitatis,
Lustrator sapientiae,
Protector veritatis,
Ante thronum fulgidum
Para nobis aditum
Aeternae maiestatis.

Zu dem Officium gehören noch einige Responsorien, die in verschiedenen Quellen an verschiedenen Orten eingestellt sind, in B nach der 9., in E nach der 8. Lection. Sie lauten:

R. Perusi, urbe inclita,
Vigebat bellum horridum,
Quod multos substernebat;
Hic praeco voce valida
Damnat certamen stolidum,
Quod fides arguebat,
V. Saxis ruebant homines,
Fiebant Satan martyres,
Qui cunctos deludebat.

R. Apud summum pontificem,
Almae urbis praesulem,
Criminatus est insonter,
Sed almae sedis gratia
De praedicando copia
Ei datur eleganter;
V. Confutantur aemuli,
Ad eum fideles populi
Currunt adfluenter.

R. Viterbii dum veritas
Et mystica moralitas
Per eum nuntiatur,
Nefariorum pravitas,
Invidiae voracitas
Nocenter inflammatur,
V. Verum divina bonitas
Et mentis [suae] aequitas
Ei auxiliantur.

Zu diesem Officium gehören die Hymnen: In 1. Vesp.: Auctor (Doctor) orbis, victor morbis (mortis), Anal. XIX, 93; ad Noct.: Innovatur plebs fidelis, Anal. IV. 112; in Laud: Laudet Deum diluculo. Anal. XIX, 93.

56. In Translatione s. Birgittae.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Benedicta sis, trinitas
Gloriosa, quae semitas,
Illustrasti sanctorum,
Nam suscitas de pulvere
Brigidam et conscendere
Das matrem filiorum.

2. Haec orta stirpe nobili
Nobilitatem generis
Virtutibus ornavit,

Cum corde Iesum humili
Christum ab annis teneris
Quaesivit et amavit.

3. Ut Raguelis filia
Non cum carnis lascivia,
Sed pro prolis amore
Nupsit puella nobilis
Viro, dum esset nubilis,
Cum Domini timore.

4. Prophetissa de Suecia
Surgit potens in gratia
Dante Deo deorum,
Qui Israelem sociat
Dispersum, ut resarciat
Ruinam angelorum.

5. Laudemus Deum gloriae,
Qui verbum paenitentiae
Per sponsam destinavit,
Currit sermo velociter,
Frigus fugit, et largiter
Imber mentis rigavit.

Ad Magnificat.

A. O tuba sancti flaminis,
Canale caeli fluminis,
Sponsa regis caelorum,
Brigida, clara genere,
Esto cum precum munere
Advocata reorum.
Quam dulcis es, o trinitas,
In tuis sanctis donis,
Qui fines lustrans visitas
Longinquae nationis
Et prophetissam suscitas
Ad latus Aquilonis,
O miserere miseris,
Nos purgans sorde sceleris,
Qui caeli praees thronis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudetur Dei gratia
Pro sponsa, quam amavit,
Cui sua mysteria
Secreta revelavit.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex ore sponsae simplicis
Laudem, Deus, fecisti,
Quam verbis vitae mysticis
Scribendis instruxisti.

2. Cives narrant angelici
Sponsae magna mysteria,
Conscripti libri caelici
Sonant per orbis spatia.

3. Ascendit mentis ardua,
Bibit fontis irrigua
Per contemplationem,
Per hanc canalem dulcia
Verba fluunt donantia
Valli irrigationem.

Responsoria.

1. Rex regum suum hortulum
Ad aquilonis angulum
In Suecia plantavit,
Dum spinae replent hortulum,
Rex inde tulit surculum
Et Romam transportavit;
V. In vitem magnam surculus
Crevit ex vi donorum,
Nunc bibit terrae populus
Vinum eloquiorum.

2. O Iesu, rex aetheree,
Restaura sepes vineae,
Custodes da murorum,
Brigida, proles Sueciae,
Romanae planta ecclesiae,
Ora regem caelorum,
V. Ut vineam reaedificet
Et vino nos laetificet
Verborum divinorum.

3. Maria, pone vigiles,
Qui fortes sint et pugiles
Ad excolendos hortulos,
Tollendo spinas, tribulos;
Salve, virgo, flos virginum,
Ora pro nobis Dominum,

V. Ut suam sanctam plantulam,
Brigidam, tuam famulam,
Augmentet mille milibus
In floribus et fructibus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum sponsae placet thalamus
Thronusque castitatis,
Fit eius lingua calamus
Scriptricis veritatis.

2. Adoremus adiutorem
Nostrum propter prodigia,
Nam fit doctis in stuporem
Sponsa loquens mysteria.

3. Rex summus sponsam dedicat
In suum tabernaculum,
Per quam servos laetificat
Propinans vitae poculum.

Responsoria.

1. Mariti post exsequias
Ad iterandas nuptias
Nolebat inquinari,
In vestibus humilibus
Non horret a nobilibus
Despecta reputari;
V. Conversans adhuc saeculo
Sic vixit, quasi vinculo
Subiecta regulari.

2. Relictis suis omnibus,
Domo, possessionibus,
Amicis et cognatis
Ut Abraham oboediens
Romam venit, cor iaciens
In manu deitatis;
V. Loca sanctorum circuit
Gaudenterque sustinuit
Caminum paupertatis.

3. Romana fit ecclesia
Sponsae Christi nutricia
Amantis castitatem,
Dum sub magistri ferula
Degit simplex discipula
Tenetque paupertatem,
V. Servat oboedientiam
Subiectam suam propriam
Relinquens voluntatem.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rex Iesu, docet gloriam
Servatque sanctimoniam
Purae confessionis,
Annuntiat iudicia,
Quae dantur propter vitia
Perversae nationis.

2. Fit tuba Dei ductilis
Sponsa Christi amabilis,
Dum malleatur ictibus,
Ieiuniis, laboribus.

3. Cantate Deo canticum
Pro dono pietatis,
Qui spiritum propheticum
Sponsae donavit gratis.

Responsoria.

1. Visiones mirabiles,
Amabiles, terribiles
Romae sedens conscribit,
Mariae per suffragia
Oblata sibi dulcia
Divina vina bibit;
V. Dum visitat reliquias
Et limina sanctorum,
Comportat indulgentias
Opesque meritorum.

2. Virtutibus proficiens
Gressum movet progrediens
Ultra peregrinari,
Ad Ierusalem properat,
Ubi Deus permiserat
Se nudum immolari;
V. Dum sepulcrum velocius
Et loca passionis
Percurrit, cumulatius
Augetur Dei donis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ex dono tuo, Domine,
Brigida fortitudine
Lumbos suos adcinxit,
Ieiuniis, laboribus,
Atrocibus frigoribus
Motus carnis exstinxit.

2. Sponsa gaudet et iubilat,
Dum ordo sibi rutilat
Iesu nativitatis,
Mariae puerperium
Et parvuli praesepium
Monstratur ei gratis.

3. Amara Christi passio
Et suae fatigatio
Mortis penuriosae
Revelantur ex serie,
Dum ad montem Calvariae
Oraret lacrimosa.

4. Iesu passo compatiens,
Ab Ierusalem rediens
Ad Romam remeavit,
Ubi post Deum sitiens,
Feliciter obdormiens
Ad Dominum migravit.

5. Tua, Deus, oracula
Confirma per miracula.
Quae sponsae tribuisti,
Fracta carnis laguncula
Lampas lucet, qua facula
Hostes perterruisti.

Ad Benedictus.

A. Quasi stella matutina
Sic refulsit vi divina
Brigida, lucis filia,
Luce Deus hanc instruxit,
Qua errantes multos duxit
Ad verae lucis gaudia.
O benedicta trinitas,
Quae gyro caelum circuis
Et prophetissam statuis
Ad latus aquilonis,
Nos duc in pacis semitas,
Dimitte poenas debitas,
Ut detur nobis claritas
Tuae fruitionis.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Brigida, sublimata
Praecelsis privilegiis,
Tu a Deo visitata,
Revelata mysteriis,
Tu virtutibus ornata,
Agni coniuncta nuptiis,
Digne gaudes laureata,
Ora pro tuis filiis;
Deus, qui te glorificat,
Sed et signis mirificat,
Donet nobis salvari,
Ut coram agni facie
In angelorum acie
Possimus coronari.

Brev. ms. Paradisiacum saec. 15. Cod. Laurent. Conv. sup. 459.

57. De sancta Birgitta.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Rosa rorans bonitatem,
Stella stillans claritatem,
Birgitta, vas gratiae,
Rora caeli pietatem,
Stilla vitae puritatem
In vallem miseriae.

2. Christus ductor, dulcis doctor,
Te dilexit, te direxit
In aetate tenera,
Tuque mitis, virens vitis,
Profecisti et crevisti
Florens super sidera.

3. Mentem mundans, fidem fundans

Amor cinxit et revinxit
In sancto proposito,
Tota decens, tota recens
Christum amas, Christum clamas
Toto vitae stadio.

4. Mundi fruens opibus,
Orta de nobilibus
Mundum contempsisti,
Vivens in coniugio
Pio morum studio
Pergis viam Christi.

5. Viro tecum continente
Sursum scandis tota mente
Et carnem mortificas,
Virum doces iter rectum
Et inducens ad perfectum
Deo gaudens dedicas.

Ad Magnificat.

A. Ministrans pauperibus,
Nudis et debilibus
Christum induisti,
Quem timendo iugiter
Et amando dulciter
Sponsa concupisti,
Iam sinu sponsi frueris,
Opem deposce miseris,
Dulcis sponsa Christi.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Deum patrem veneremur
Pro Birgittae gloria,
Ut cum Christo coronemur
Per eius suffragia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Docetur velut filia
Per Christum perque virginem,
Cum qua vitae decentia
Sponsae gerat imaginem.

2. In virginali thalamo
Qui se carne praecinxit,
In huius sponsae calamo
Mysteria depinxit.

3. Dei suavis spiritus
Dum caelitus iuundat,
Ex ore sponsae veritas
Et bonitas redundat.

Responsoria.

1. Haec sursum rapta spiritu
Videt mentis intuitu
Iesum cum sanctis stantem,
Qui mundi scelus aperit
Et se contemptum asserit
De suis exsulantem;

V. *Lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem.*

2. Astans Dei iudiciis
Videt, quantis suppliciis
Impii mactantur,
Quam gravis est purgatio,
Quam horrens est damnatio,
Tormenta testantur;

V. *Cum exarserit in brevi ira eius, beati omnes, qui confidunt in eo.*

3. Ardenti desiderio
Pro populi suffragio
Peccantis dum anhelat,
Quam gravia sunt vitia,
Quam grata dat remedia,
Christus ei revelat;

V. *Loquitur pacem in plebem suam et in eos, qui convertuntur ad cor.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Maria sponsae reserat,
Quod in matre perfecta
Sine peccato fuerat
Originis concepta.

2. Pandit, quae delectatio
Matrem Annam replebat,
Suae felix infusio
Dum animae fiebat.

3. Nunquam sensit contagium
Maria, sed sublimium
Virtutum gessit lilium
Prae ceteris mortalium.

Responsoria.

1. Maria, virgo parvula,
Christum nasci de virgine
Per prophetas instructa,
Tota mentis dulcedine
Eius optatur famula
Quod fieret innupta;

V. *Desiderium animae eius tribuisti ei, Domine, in benedictionibus dulcedinis.*

2. Ancillae ministerium
Grato fervore spiritus
Dum humilis affectat,
Illuxit ei caelitus
Et Dei patris filium
In utero receptat;

V. *Cibavit eam Dominus pane vitae et intellectus.*

3. In excessivo gaudio
Iam nato dulci filio
Virgo mater exsultat,
Dum videt membra tenera,
Per quae transibunt vulnera,
Dolor cordi resultat;

V. *Abscondisti haec a sapientibus et prudentibus et revelasti ea parvulis.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ut doctrix evangelii
De novo mater Dei
Suam totamque filii
Vitam demonstrat ei.

2. Ad finem a principio
Christi poenas expressit,
Et consummato proelio
Quam flebilis decessit.

3. Quam forti vehementia
Dolor eam transfixit,
Dum mortem et opprobria
Christi vidit, edixit.

Responsoria.

1. Vicissim sanctis loquitur
Et colloquens assequitur
Mellifluam doctrinam,
Perversos mores arguunt
Et christianis consulunt
Virtutum medicamen,

V. *Ne quando irascatur Dominus, et pereant de via iusta.*

2. Pro dogmate fidelium
Tam frequens revelatio
Est mentibus legentium
Stupor et admiratio,
Sponsae decus eximium
Famaeque divulgatio;

V. *Immortalis est enim memoria illius, quia apud Deum nota est et apud homines.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Post mortem viri penitus
Sponsa Christo subiecta,
Haec Romam iuxta spiritus
Praeceptum est profecta.

2. Illic suae sublimiter
Vitae virtus ascendit,
Odorque famae dulciter
Se populis extendit.

3. Loca sanctorum adiit
Quam plurima, dum vixit,
Totum iter, quod transiit,
Christus ei praedixit.

4. Fervens amore fortiter
Aetati non pepercit,
Ierusalem hilariter
Et Bethlehem perrexit.

5. Mariae partus seriem,
Cum Bethlehem venisset,
Sponsa vidit per ordinem,
Tunc velut peperisset.

Super Benedictus.

A. In sanctae vitae studio
Mundi decurso stadio
Languens sponsum desiderat,
Sponsus iucundus properat
Blando placans sermone:
Veni, praedulcis filia,
Grata virtutum lilia
Portans, in sponsi gremium,
Gustabis dulce praemium
Perpetuae coronae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Deum ineffabilem,
Qui sponsae vitam humilem
Arrhis ditavit optimis
Et nunc in caelo maximis
Honoribus delectat,
Ipsam magnis miraculis
Exaltans hic in populis,
De mundi nos turbinibus
Ereptos caeli civibus
Eius prece connectat.

Infra Octavam.

Ad Benedictus.

A. O Birgitta, murrae gutta,
Exemplar continentiae,
Confecisti plebi Christi
Emplastrum paenitentiae,
Dum scripsisti verba Christi,
Tu nova lux ecclesiae,
Esto tutrix, esto nutrix
Tibi pronae familiae.

Ad Magnificat.

A. Sponsa regis, doctrix legis,
Exemplar sequens fortium,
O Birgitta, rubra vitta,
Tuum ligasti labium,
Dum loquendo vel tacendo
Amasti Dei filium,
Ora regem, ut nos gregem
Ducat ad caeli gaudium.

Ad Benedictus.

A. Sancta Birgitta, Dominum
Exora clementissimum,
Ut post mundi exsilium,
Det nobis caeli gaudium.

Ad Magnificat.

A. Birgitta, Christi vernula,
Caelestis regni saecula
Indignis nobis patula
Stent tua prece sedula.

Ad Benedictus.

A. Pro prece Birgittae,
Deus, omnia prospera mitte,
Nobis dimitte
probra singula, poscimus id te.

Ad Magnificat.

A. O Deus aeterne,
nos dirige, protege, cerne,
Proque tuae vernae
prece scandala, crimina
sterne.

Ad Benedictus.

A. Esto, Christi sponsa pia,
Nobis semper in hac via
Procuratrix veniae,
Post hanc vitam summe sitam
Angelorum infinitam
Posce sedem gloriae.

Ad Magnificat.

A. Caeli Deum fideliter,
Sponsa dulcis, ora,
Ut nos ad se feliciter
Ducat in mortis hora.

Ad Benedictus.

A. Christe, propter tuam necem
Atque tuae sponsae precem
Da carere vitiis,

Sicque nobis post hanc mortem
Angelorum confer sortem
In aeternis gaudiis.

Ad Magnificat.

A. Christe, Birgittam petimus,
Tuam sponsam et natam,
Ut nobis poscat omnibus
Sedem caeli paratam.

Ad Benedictus.

A. Birgitta, sponsa Christi
Nostraque patrona,
Quae felix meruisti
Summa caeli dona,
Fer nos de mundo tristi
Tua prece prona
Et fac in caelo sisti
Ornatos corona.

Brev. ms. Paradisiacum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 459. A. — Psalt. ms. S. Mariae ad Arborem saec. 15. Cod. Sancten. Reg. XVI. 2. B — In 1. Noct. **A** I fehlt B; dafür als **A** 3 Specie tua et pulchritudine tua etc. — In 3. Noct. **R** 1, 4 arguit B. — **R** 1, 5 consuluit B. — **R** 2, 4 Stupor fehlt B. — **R** 3 prosaisch AB. — Die **AA** per Octavam hat nur A. Die zum Officium gehörigen Hymnen cfr. Anal. XXIII, 150 sq. — Den Namen der Heiligen schreibt A stets Brigida.

58. De sancta Birgitta.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Birgittae, matris inclitae
Festa iucunda suscipe
Gaudens, mater ecclesia,
Quam decoravit hodie
Summae Deus clementiae
Suprema caeli gloria.

2. Invita nos ad nuptias
Agni, dulces delicias
Gustans sponsa placabilis,
Pauperibus primitias
Frugum, caeli divitias
Da, domina laudabilis.

3. Tu populi laetitia,
Iudith sequens vestigia,
Tu consolatrix patriae,
Per te, nostra fiducia,
Reis donetur venia
De largitore veniae.

4. Haec est sensata mulier,
Stella splendens ut lucifer,
Lucerna pulchritudinis,
Quam poscimus fideliter,
Ut nobis fundat iugiter
Suae stillas dulcedinis.

5. Piis devicta precibus
Ministra viatoribus
Potum, Rebecca sapiens,
Tuis orationibus
De supernis canalibus
Aquas salutis hauriens.

Ad Magnificat.

A. Birgitta, Christi famula
Fidelis in officio,
Tu felix Anna vidua
Templi vacans servitio,
Rachel amore fervida,
Iacob placens consortio,
Salus aegrotis placida,
Devotis consolatio,
Splendens iustorum semita,
Maestorum recreatio,
Fiat per tua merita
Grata nostra devotio,
Quae reseras abscondita,
Nos offer lucis radio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christo regi cum iubilo
Psallentes exsultemus,
Quem pro sponsae praeconio
Laetantes adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Elevatur in populis
Hesther pia magnifice,
Assueri regis oculis
Quae placuit mirifice.

2. Enarrent caeli gloriam
Dei laudantes opera,
Qui talem sibi filiam
Praevidit ante tempora.

3. Portas vestras adtollite,
Coetus omnes angelici,
Et laeti recolligite
Civem, concives caelici.

Responsoria.

1. Virtutis Dei dexterae,
Trinam regenti machinam,
Trino ditata munere
Birgitta dedit gloriam,
Captiva mundi carcere
Mundam conservans animam,
V. Soluta carnis onere
Sponsoque iuncta foedere
Partem elegit optimam.

2. Herba surgit in stipitem
Altis fixum radicibus,
Stipes fert ramum fertilem
Pulchris fulcitum floribus,
Flos fructum profert utilem
Ad sanitatem gentibus,
V. Dum parens parit nobilem
Birgittam, sibi similem,
Miris claram virtutibus.

3. Qui maris fluctus mitigans
Ionam duxit ad aridam,
Matrem Christus allevians
Omnem tollit tristitiam,
Partum felicem nuntians
Matri duplat laetitiam;
V. Sponsam nube clarificans,
Linguam melle dulcificans
Loquendi dat audaciam.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec speciosum filium
Superni regis diligit,
Amicam velut lilium
Pulchram sibi rex eligit.

2. Deus nostrum refugium
Sponsae tuae precatibus
Fer nobis adiutorium
In tribulationibus.

3. Portas Sion ingrediens
In sanctis gaudet montibus,
Mentem plene reficiens
Ex aquae vivae fontibus.

Responsoria.

1. Virginitas promeruit
Nulli subiecta crimini,
Quod semet ipsum praebuit
Passum devotae virgini,
Qui crucem sponte subiit
Nos suo reddens lumini.
V. Puellae parvae consuluit
Auxiliumque tribuit
Maria, mater Domini.

2. Occulta conscientiae
Pura mundat confessio,
Magnae signum clementiae
Fusa monstrat oratio,
Quam matris omnis gratiae
Meretur supplicatio;
V. In hac valle tristitiae
Tristi succurrit filiae
Divina miseratio.

3. More gallinae clamitat
Pullos sub ala colligens,
Adversus milvum dimicat
Verbo vitae custodiens,
Maritum beatificat
Hunc Christo lucrifaciens;
V. Mundum, carnem subpeditat,
Se, sua Deo dedicat
Votum sponte perficiens.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Gaude, Birgitta, canticum
Tibi debetur gloriae,
Deduc in refrigerium
De lacu nos miseriae.

2. Lux orta iusto nuntiat
Rectis corde laetitiam,
Cuius splendor illuminat
Solum paternum, Sueciam.

3. Exsulta, Sion filia,
Psallens tubis ductilibus
Chorizas inter lilia
Choris iuncta caelestibus.

Responsoria.

1. O canale mundissimum,
Per quod de caeli cardine
Fluit ut ros eloquium
Ignitum sancto flamine,
Mentes inflammans hominum
Interiore lumine;
V. Ora, Birgitta, Dominum,
Ut nos post vitae terminum
Caelorum locet agmine.

2. Devotas odit lacrimas
Hostis, corruptor sacculi,
Novas parat astutias
Planctum dissuadens parvuli,
Fugit tendens insidias
Aquis perfusus oculi;
V. Illic fregit potentias
De caelo dans victorias
Divini vox oraculi.

3. O facies Mosaica,
Solis coruscans radiis,
Sanctitate magnifica,
Magnis clarens prodigiis,
In requie pacifica
Sponsi fruens encaeniis;
V. O femina mirifica,
Continuis laetifica
Servos tuos praesidiis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Patrem collaudat luminum
Sponsa, post cuius obitum
Tot fiunt mirabilia,
Per sanctae vitae studium
Famaeque testimonium
Iam facta credibilia.

2. Relicta terra propria
Roma, communis patria,
Matrem collegit iubilans,
In hymnis intrat atria,
Vota reddit salubria
Sanctos decenter visitans.

3. Ad te de luce vigilat,
Deus, sponsa quem praedicat,
Tuam laudans potentiam
Facta carnis mortificat,
Fructus bonos multiplicat
Agendo paenitentiam.

4. Noctes et dies Domino
Impendit haec altissimo
Aestus arcens frigoribus,
Membra domat cilicio
Cum lacrimarum fluvio
Mundi calcatis opibus.

5. Excelsis digna laudibus
Birgitta nationibus
Vindictam clamat, scelera
Magna revelat regibus,
Unde cum sanctis omnibus
Exsultat super sidera.

Ad Benedictus.

A. Corona sponsa praedita,
Praesentata per virginem,
Plebem devotam visita,
Tuam rege progeniem;
Umbram mortis illumina
Noctis aufer caliginem,
Pedes nostros iustifica
In pacis pulchritudinem.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Vale, suavis musica,
Demulcens aures principum,
Tu Gedeonis buccina,
Castra deterrens hostium,
Tu dulcis tympanistria,
Corda monens fidelium,
Converte, mater inclita,
Luctum nostrum in gaudia.

Brev. ms. Paradisiacum saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 459. A. — Psalt. ms. S. Mariae ad Arborem saec. 15. Cod. Sancten. Reg. XVI. 2. B. — Brev. ms. S. Mariae Gedanen. saec. 15. Cod. Bibl. OO. SS. Fol. 218. C. — Brev. ms. Pragense (?) saec. 14. Cod. Altovaden. LXIII. D. — Cod. Sitanstetten. CCXXXII. saec 15. E. — Cod. Palat. Vindobon. 1316 saec. 15. F. —

In 1. Vesp. A 2, 4 sqq.: Procura nobis epulas Caelestes et divitias, O domina laudabilis E. — A 4, 4 sqq. Ex dono dato desuper Canalis dicta dulciter Stillas fundens dulcedinis E. — Ad Magn. A, 7 Salus Aegyptiis placida D. — Ibid. 10 Maestorum resurrectio D. — Ibid. 13 sq. Deo, qui nos post taedia Suo iungat solatio E. — In 1. Noct. A 1, 2 Esther iam magnifica D. — A 3, 3 colligite DE. — R 1, 8 Tres tenens dotes animae E. — R 2, 1 Herba crescit in arborem E. — R 2, 2 fixa BD. — R 3, 3 Matrem de mari liberans E. — R 3, 8 Christus et linguam reserans E. — In 2. Noct. R 1, 7 sqq. Puellam parvam instruit, Opus tam rarum perficit Virgo materque Domini E. — R 3, 1 gallinae congregat E. — R 3, 4 Verbum vitae E — R 3, 5 Martyrium beatificat E. — R 3, 7 sqq. Mundum, carnem repudiat, Votum vovet, quod adprobat, Casta pudica permaneus — In 3. Noct. A 1, 3 sq. Tuum defendas populum, De lacu duc miseriae E. — A 3, 2 Caritas E — R 2. 7 Ibi fregit F. — R 3 fehlt D. — R 3, 9 tuos fehlt B. — In Laud. A 1, 4 sqq. fehlen E. — A 3, 2 sq. Deum, quem corde baiulat, Servando patientiam E. — A 4 lautet in E:

Noctes et dies Domino
Dedicavit altissimo
Corpus domans frigoribus,
Mariae patrocinio
Se recommendat sedulo
Sacris vacans operibus.

Ad Bened. A, 5 sqq. Noctis umbras illumina, Mortis aufer caliginem, Affectus nostros eleva (?), Pacis confer dulcedinem E. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 1 Vale, suavis fistula E. — Ibid. 5. sq. Tu triumphalis cithara Tangens corda fidelium E. — Sämtliche Varianten erscheinen als Verbesserungsversuche von E. — Zum Officium gehören die Hymnen: In 1. Vesp.: Hora consurgit aurea (Mone III, 242); ad Noct.: Caeli perornat gaudia (Klemming I, 13); ad Laudes: Dies salutis agitur (Anal. IV, 116) Verfasser des Officiums und der Hymnen ist Erzbischof Birger von Upsala: „Incipit historia de sancta Birgitta, edita per venerabilem dominum Birgerum, archiepiscopum Upsalensem, in festivitatibus eiusdem decantanda.“ F fol. 61 a. Vgl. Acta SS. Oct. IV. 371. Birger ist dann auch vielleicht Verfasser der drei Sequenzen, welche in den in F unmittelbar dem Officium folgenden Mefsformularen sich finden: Insistentes cantilenae (Kehrein 787, Klemming I, 30); Alleluia iucundum resonat praesens ecclesia (ined.); Surgit mundi vergente vespere (Klemming I, 47). Sehr wahrscheinlich ist dies rücksichtlich der erstgenannten Sequenz, da diese im Missale von Upsala vorkam. Dagegen läfst sich aus F kaum ein Schlufs herleiten, dafs Birger auch als Verfasser der sieben Teile umfassenden Oratio: Salve decus feminarum anzusehen sei; die Hs. schreibt ihm diese keineswegs zu, wie Mone III, 243 irrig behauptet; ein anderer Anhaltspunkt fehlt aber völlig.

59. De sancto Bonaventura.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

1. Bona, Iesu, cum ventura
Illustra corda obscura
Seraphico doctore,
Ecclesiam quam compserat
Crucemque tuam prompserat
Virgineo ductore.

2. Regi Iesu conclavatur,
Fructus crucis proclamatur,
Floret sub Gregorio,
Quem Sixtus, vir Cherubicus,
Hic decoravit caelitus
Coetus consistorio.

3. Arbor crucis fructifera
Hunc Iesum et puerpera
Attraxit in languorem,
Dum gustat eius corticem
Seraphicumque verticem,
Sentit vitae dulcorem.

4. Necis faucibus subreptus,
Francisci voto ereptus
Puerili in flore
Scandit sua vestigia,
Crucis Iesu fastigia,
Pullulat in decore.

5. Bone Iesu ac venture,
Hora mortis tibi curae
Sit tui sancti prece,
Nostra delicta abluas
Ac errorem ut abimas,
Soluti truci nece.

Ad Magnificat.

A. O lumen siderum,
Cardines poli,
Fervideque Seraph!
Solium celsi
Scandis, ab alto
Conditor latens
Cum te retrahis;
Specie culta
Miro portento
Reficis, ob id
Maestos solare
Corda praecinctos,
Vitia tunde,
Ac nefas desit
Gloriae inanis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christo, aeterno filio,
Confiteamur ore,
Qui praecandidum lilio
Bonaventuram madet rore.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Trina eminet solio
Corona laureatus,
Luce, ture et pallio
Libat Christum beatus.

2. Divitis Christi pauperes
Imbuit more gentes,
Ne luxu sint degeneres,
Effrenas terens mentes.

3. Christum amictus culmine
Alte rexit elisos
Quosque caelico numine
Mitis pavit submersos.

Responsoria.

1. Lugdunum lucis splendore
Perlustrans mundi oras,
Redolens mellico flore
Aridos fetu roras,
Seraphico in doctore
Spineta tundens foras;
V. In horto frondis decore,
Exuberanti liquore
Delectemur per horas.

2. Sertis spirat virentibus
Crucis saeptis stipite
Frondibus subcrescentibus,
Viridi de caespite
Condit salvam torpentibus
Falce cum ancipite;

V. Suggerit ob id mentibus
Stiparique merentibus
Malo praecipite.

3. Miranda luce praeventus,
Cruce Iesu perculsus
Dulcesque promit concentus,
Voce gracili pulsus,
Sex Seraph alis intentus
Contemplatur avulsus,

V. Hic deliciarum contentus
In horto stillat mulsus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hunc Parisius insignis
Alto elevat throno,
Quem Iesus ardore ignis
Caelesti ditat dono.

2. Divi Francisci ordinem
Ter quinis tribus rexit,
Natos per mundi cardinem
Ad ardua provexit.

3. Ut flos eius eloquium
Fraglanti flat odore,
Nemo eius fastigium
Lingua scandit nec ore.

Responsoria.

1. Principe mundi sublato
Coetus procerum rimari
Coepit, quem caelitus grato
Culmine sublimari,
Id sancti velit spectato
Praesagio protestari,
Quem eligat preces nato
Fundat mitra ornari.

V. Qui virtute adornato
Gregorio dat lustrato
Fidem et infulari.

2. Felicem hi per saecula
Quem genuere parentes,
Talem et laude dignum
Natum orbis pericula
Arcentem, quem sacrae
mentes
Efferunt et benignum,

V. Pandit dulcia pocula
Reficiens hic egentes,
Crucis ostendens signum.

3. Regio nectaris unda
Quae fluxit pura de monte
Claris patuit rivulis,
Tartarorum gentes munda
Balneat ubere fonte
Foedatas sordis vinculis;

V. O Iesu, morte fecunda
Nos lava gutta in fonte,
Quos emisti iaculis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Immensa Christi bonitas
Hunc effecit mirabilem,
Cuius virtus divinitas
Cunctis dat amabilem.

2. Mutos, caecos, morbidos,
Claudos, languentes solo,
Defunctos vitae, aridos
Et obsessos reddit polo.

3. Tristis parens cum clamore
Abortum plorat natum,
Cui sanctus in maerore
Vivum reddit sanatum.

Responsoria.

1. Doctrina clarescit hierarchia,
Iesu duce cruce monarchia,
Seraphica, pura, cherubica
Mente secutus est monastica;

V. Bonaventura, futura
Pelle obscura et dura.

2. Invictae fama virtutis
Aures subrigit et ora,
Sanant ac vires salutis,
Diffundit decora,
Contagione pollutis
Fert medelam absque mora;

V. Versa in cinerem cutis,
Lingua, rubens ut aurora,
Viva manens opem mutis
Dat in Lugdunorum ora.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sancti Francisci ordinem,
Eius sacram originem
Splendore collustratus
Ostendit Dei digito
Ac zelo natus licito
Gaudet cruce prostratus.

2. Doctor plebis angelicus,
Fama, vita mirificus,
Laeto corde iubilat,
Iesu amplexans strenua
Pedes flectitat genua
Et fervore rutilat.

3. Urentem sitim depulit,
Dum fontem siti protulit
Sitientis in cruce,
Lacrimanti innititur,
Refocillatus rapitur
In vera Iesu luce.

4. Hominum hic terrestrium
Ad instar a se caelestium
Factas docet naturas
Semper habere fervidas
Mentes, puras et candidas
Iesu propter fixuras.

5. Lauda, lege et aperi
Librum, quem laudant superi,
Iesum esse confixum,
Sermone dulci explicat,
Laudem laudare replicat
Per virginem enixum.

Ad Benedictus.

A. Aurea mundo
Luce respersa,
Balneum felix
Regium, o quam
Nascitur magnus
Ex te Olympo
Doctor edoctus
Nubila pellens,
Tenebris obstans,
Bonaventura,
Sceleris sicque
Duce te nostros
Irritae manent
Semitae pedes
Dirige tute
Viam in pacis,
Pie precamur.

Brev. ms. Franciscanum anni 1492. Clm. Monacen. 23152. A. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1506. B. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1512. C. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1519. D. — Brev. Romanum imp. Venetiis 1522. E. — In 1. Vesp. **A** 5, 5 ut abnuas C. — Ad Magn. **A**, 3 Fervidaque ABE. — Invit. 2 aeterni BE. — In 1. Noct. **A** 2, 1 Diviti C. — **A** 3, 3 quousque F. — **R** 2, 5 temporibus CD. — **R** 2, 9 praecipites ABC; praecipitis E. — In 2. Noct. **A** 3, 1 Ut ros E. — **R** 1, 2 Scelus E. — **R** 1, 8 mira ornari D. — **R** 2, 6 afferunt B. — **R** 2, 9 signaculum E. — **R** 3, 3 pavit E. — In Laud. **A** 1, 4 Densit Dei digito ABCDE. — Ad Bened. **A**, 3 Balneo ABCDE. — **A** 4, 1 Homini AB. — Bei der **A** ad Benedictus die Bemerkung „sub propria nota“ DE, was auch von der ad Magn. gilt, die sich in der 2. Vesper wiederholt; das übrige ist nämlich „sub nota“ des Franciscus-Officiums Franciscus vir catholicus. Der verschrobene Stil des Versificators liefs nicht unterscheiden, ob manche dunkle Stelle letzterem oder der Überlieferung zur Last fällt. Die zugehörigen Hymnen vgl. Anal. XXIII, Nr. 243–246.

60. De sancto Bonaventura.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Rutilat vir Seraphicus
Et totus scientificus,
Parisius rimari
Sacra dogmata meruit.
Is Deum semper monuit,
Prae cunctis adamari.

2. Coepit hic a principio
Morum vacare studio,
Mundo fit gloriosus,

Intendens divis opibus
Crevit devotionibus
Doctrinisque famosus.

3. Hunc papa praeelegerat
In fratrem, quando praeerat
Minorumque decori,
Hunc spiritu mirifico
Dignum ecclesiastico
Providerat honori.

4. Franciscus hunc ut filium
Gignens per evangelium
Traxit de mundi rota,
Huic nil fuit suavius
Iugo Christi, nil levius,
Freto mente devota.

5. Hic carni non obtemperat,
Qui crucem suam tulerat
In viam salvatoris,
Quidquid spiritus suggerit
Boni operis, regerit
In gloriam factoris.

Ad Magnificat.

A. O doctor Seraphice,
O pontifex mirifice,
Tu nostrae militiae
Pastor et claritas,
Divinis ardoribus
Transformatus es actibus,
Christi passi specie
Vexit te caritas,
In te signis radians,
In te miranda amplians
Requievit spiritus,
In te devotorum
Tuis asta posteris,
Pater, provide miseris,
Nam increscunt gemitus
Servorum tuorum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi, quem docet scriptura,
Christo laudes reddantur,
Cuius in Bonaventura
Imitanda demonstrantur.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hic vir in veritatibus
Instructus sapienter
Divinisque dogmatibus
Imbutus est prudenter.

2. Excelsi regis amator
Mirifice effectus,
Divinae legis zelator
Corde semper erectus.

3. Instruitur sancta iuventus
Imprimis per doctores,
Captis literis attentus
Satagit bonos mores.

Responsoria.

1. Francisci hic discipulus
Optat mox meditari,
In Christum passum sedulus
Secedit sublevari,
Doctrinae Pauli aemulus
Vult inde gloriari,
V. Inspiratus puerulus
Ut devotus infantulus
Crucem vult contemplari.

2. Tenetur magno languore.
Factus puer vix se movit,
Sed mater cordis ardore
Francisco eum vovit,
Qui gravi liber maerore
Sospitem se agnovit,
V. Cum miraculi rumore
Stigmatus pio amore
Praenocentem removit.

3. Dum frater minor ponitur,
Votum vult adimplere
Laetanter tunc recipitur,
Qui promittit tenere,
Quae sunt regulae, cernitur
In integro complere.
V. Casto corde imbuitur,
Obediens vir nititur
Ut pauper se habere.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hunc Parisius insignis
Alto elevat throno,
Quem Iesus ardore ignis
Caelesti ditat dono.

2. Divi Francisci ordinem
Ter quinis tribus rexit,
Natos per mundi cardinem
Ad ardua provexit.

3. Ut flos eius eloquium
Fragranti flat odore,
Nemo eius fastigium
Lingua scandit et ore.

Responsoria.

1. Dum deditus est studio
Cum sanctitatis apice
Amator novae legis,
Accenditur devotio,
Refulget sic magnifice
Amicus magni regis,
V. Ex meritis mirifice
Provectus honorifice
Fit dignus pastor gregis.

2. Albanum regit populum
Pastor potens praesidio,
Quem benigne direxit,
Exemplis reddens sedulum,
Doctrinis fit instructio
His, quos multum dilexit;
V. Prospera atque saeculum
Magno cum desiderio
Voluptates despexit.

3. Audit ex evangelio,
Quae Christus cruce patitur
Ad redimendum missus,
Fervet prae desiderio,
Laetanter his immittitur,
Deo vere commissus;
V. Sentiens in Iesu pio
Vulnera corde stringitur,
Passioni submissus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Os verbis legis gratiae
Sapienter adponit,
Verbum sacrae scientiae
Condecenter proponit.

2. Sacram doctrinam scriptitat
In spiritus virtute
Veraeque viae sociat
Devios a salute.

3. Post huius sancti dogmata
Instruuntur doctrinis,
Quibus sparguntur climata
Eloquiis divinis.

Responsoria.

1. Carnis refraenata malitia
Bonaventura spernens terrea
Magna vendicat beneficia,
Caeli felix intrat in amoena,
V. Vivens et mundo mortuus
Vivit vita mellifluus.

2. De scripturarum horreo
Bonaventura satiat,
Comitivam scholasticam,
Veritas ne caecutiat,
Congregat ad scientiam,
Doctrinae viam ampliat;
V. Pro meritorum copia
Gaudet magnus in patria,
Non tam verbis erudiens,
Quam hic vitae munditia.

3. A sacra communione
Pater humilis abstinet,
Missa dum celebratur,
Fit Dei provisione
Pars hostiae, en, eminet,
Qua is communicatur;
V. Hic omnibus praeeminet,
Meditans de passione
Christi, quem contemplatur.

4. Miranda luce vallatus
Bonaventura videtur
Parisius, dum orat,

A terraque elevatus
Vir devotus intuetur,
Quem donum Dei rorat,
V. Rex Franciae admiratus
Testis huius perhibetur,
Id stupendum perorat.

5. Naufragium dum patitur
Navigans iste in mari
Fratrum minister factus,
Suffragium, quo petitur
A Francisco sublevari,
Capit undis subactus,
V. Nunc ipse praesto noscitur
Adflictis opitulari
Sanctorum coetum nactus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Bonaventura praeviis
Theologorum studiis
Sublimiter instructus,
Non solum eas metere,
Sed scriptis cunctis spargere
Vult Dei zelo ductus.

2. Doctor plebis angelicus,
Fama, vita mirificus
Fit cunctis in dulcorem,
Supra se saepe rapitur,
Tantum nostra prosequitur
Militia ductorem.

3. Tres ordines hic habuit,
Primus generalis fuit
Minorum, praesulisque
Fit animarum medius,
Cardinalatus tertius,
Humillimus ubique.

4. Doctus divina gratia,
Doctus prae diligentia,
Quae sunt devotionis,
Haec fratres docet omnia
Tam factis quam facundia
Melliflui sermonis.

5. Laudans laudare gaudeat,
In laude semper prodeat
Seraphici doctoris,
Non cesset nostra parvitas,
Quam tanta ditet sanctitas
A laude conditoris.

Ad Benedictus.

A. O mira contemplatio,
O sancta meditatio,
Bonaventura, levaris
In Iesum, quem meditaris,
Prout studuisti;
Tu contuens cum maerore
Illum in cruce positum,
Ferventer corde et ore
Operibus dulcedinem
Fers plagarum Christi;
Tu nobis, pater, provide,
Qui per hunc imum transitum
Dulcis Christi et vivide
Passique altitudinem
Semper praetendisti.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O virum spectabilem
Doctrinis et scientiis,
Languores beneficiis
Quoslibet pellentem,
Dat verbis cunctis divinum
Spargens semen seminum
Pascens intendentem;
O vita laudabilem,
Qua Christum sic mirificat,
Sed et doctos magnificat
Etiam defunctus,
Faciat nos in terminum
Videre patrem luminum,
Cui est coniunctus.

Nocturn. ms. Franciscan. saec. 15. ex. Cod. Lugdunen. 476. A. — Antiph. ms. Franciscan. Hibern. saec. 15. ex. Cod. Collegii SS. Trinitatis Dublinen. B 1. 2. B. — In 1. Noct. R 2, 2 Lies Natus puer? — In 2. Noct. A 3, 2 fiat odore A. — In 3. Noct. A 3, 1 Post haec A. — R 1, 1 refraenans L. — Die RR 4 und 5, wohl auch 3, sind extravagantia.

61. In Ordinatione s. Bonifatii.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Sion sancta, gratulare,
Plebs fidelis, collaetare
Sancto Bonifatio,
Psalmos Deo personare
Debet illis et vacare
Mentis exsultatio;
Luctus cordis refugetur
Et decenter augmentetur
Laudis enarratio,
Vox ad cantus animetur,
Ut condigne celebretur
Eius ordinatio.

Ad Magnificat.

A. O caelestis coetus, gaude,
Mundi decus et applaude
Praesuli magnifico,
Romae qui dum ordinatur,
In amore solidatur
Domini vivifico,
Bonis factis insignitus,
Unde nomen est sortitus
Iure Bonifatius,
Quod aptatur digne factis,
Ut ex eius sacris actis
Claret efficacius;
Sancte pater et patrone,
Nos degentes in agone
Huius vitae miserae,
Tua prece cum beatis
Almae vultum deitatis
Fac in aevum visere.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus mente tota
Regem regum et devota
Nostra sit laudatio,
Qui coronam sempiternae
Vitae dedit suo vernae,
Sancto Bonifatio.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vir beatus aspernatur
Impium consilium,
Legem Dei meditatur
Sequens eius filium.
2. Hic adhaesit in timore
Domini servitiis,
Parvipensis cum livore
Saeculi deliciis.
3. Quem de suo sancto monte
Deus exaudiverat,
Perfruentem aevae fonte
Vitae, quam cupierat.

Responsoria.

1. Ex Anglorum stirpe natus
Hic praeclara vir beatus
Et Wintfridus nomen nactus,
Mox in fide solidatur
Et doctrinis mancipatur
Verus cultor Dei factus,
V. Mundum despexit,
cor ad caelestia vexit.
2. Hunc allexit ad amorem
Mundi pater, successorem
Quem bonorum affectabat,
Felix puer sed mundanis
Rebus spretis tamquam vanis
Sempiternis inhiabat;
V. Sic Christum quaerens
et verbis eius adhaerens.
3. Agens annos inventutis
Ob aeternae spem salutis
Statu gaudet regulari,
Temptamentis carnis cedit,
Docet, orat et oboedit,
Vita fultus salutari;

V. Hinc dilatatur
sua laus, sic undique gratus,
Quod sublimatur
ad honorem presbyteratus.

V. Qui sibi mandatis
iniunctis pronus obocdit,
Nam diis ablatis
per eum gens plurima credit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christus sanctum suum rite
Hunc mirificavit,
Cuius preces sunt auditae,
Ad se dum clamavit.
2. Introibat in timore
Hic vir sanctus domum Dei,
Corde puro nec non ore
Sacras preces fundens ei.
3. Hunc honore coronavit
Deus et cum gloria,
Inter iustos quem beavit
Perpeti memoria.

Responsoria.

1. Multis locis hinc lustratis
Et in fide confortatis
Papae chartis evocatus
Romam petit, quam ingressus
Sacris locis fit accessus,
Quae frequentat hic beatus;
V. Urbs, rex, papa pio
tali gaudent peregrino.
2. Cuius fidem atque vitam
Sacris factis sic politam
Papa plene dum probavit,
Archipraesul Maguntinus
Ordinatur, haec divinus
Velut nutus inspiravit;
V. Nomen mutatur,
Bonifatius inde vocatur.
3. Praesul ergo consecratus
Bonis multis est ditatus,
Ad gentiles destinatur,
Quibus Christum praedicare
Et in fide roborare,
Ne tepescat, incitatur;

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Servus prudens et beatus
Sancta Dei tabernacula
Iusta semper operatus
Est ingressus sine macula.
2. Super Dei salutare
Vehementer exsultavit,
Quem decrevit coronare
Nec spe cordis defraudavit.
3. Deum quaerens sine sorde
Iusta generatio
Collaetetur mundo corde
Sancto Bonifatio.

Responsoria.

1. Exstirpavit deos vanos
Sanctus praesul, dum Germanos
Christi fidem induebat,
Ab errore resilire
Atque viam comperire
Vitae iugis his suadebat;
V. Talibus ad Christum
monitis populum trahit istum.
2. Demum gestis cunctis rite
Hic coronam aevae vitae
Firmiter cupivit,
Hanc ut ferret ad priorem
Statum, lapsam in errorem
Frisiam adivit;
V. Quo male tractatur
et cum sociis trucidatur.
3. O lux pontificum,
venerande pater Bonifati,
Sidus clarificum
congaudens nunc deitati,

Criminis a faecibus
tu nos ut purificati,
Posce tuis precibus,
simus sanctis sociati;
V. Tu via iustitiae,
virtutum gemma, pudoris
Cellula, munditiae
vas, divi lumen amoris.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Deus regnans, qui decoris
Se praecinxit fortitudine,
Sedem dedit huic honoris
In caelesti claritudine.

2. Iste Deo cum laetitia
Iubilando deservierat,
Aspernatus cuncta vitia
Regnum eius introierat.

3. Hic ad Deum vigilavit,
In se cuius anima sitivit,
Ad quem manus elevavit
Et ex totis viribus quaesivit.

4. Universum opus Domini
Hymnis cum decentibus
Benedicat eius nomini
Festis in praesentibus.

5. Famuli fidelis
Propter huius facta pura
Dominum de caelis
Laudet omnis creatura.

Ad Benedictus.

A. Benedictus sit caelestis
Rex, qui suos visitavit,
In praeclaris huius gestis
Servi boni, quem amavit,
Per doctrinam eius piam
Qui fideles illustravit
Ad aeternae pacis viam
Et errantes revocavit.

In 2. Vesperis.

R. Laudibus immensis
exsulta, plebs Hamelensis,
Hunc tibi patronum
caelestem namque colonum
Christus donavit,
qui templum nempe sacravit
Hoc dotans rite,
nanciscens praemia vitae;
V. Ablue peccati
maculam, sacer o Bonifati,
Atque tuae laudi
nos instantes, pater, audi.

Ad Magnificat.

A. Pastor bone summi regis,
Bonifati, tui gregis
Luporum ab insultibus
Qui catervam tuebaris,
Quina lucri salutaris
Dans talenta cultibus,
Ob quod factus beatorum
Es coheres gaudiorum
Supernorum civium;
Te devoti deprecamur,
Ut te duce transferamur
Horum ad convivium.

Per Octavam.

A. Archipraesul o beate,
Bonifati, Deo grate,
Tua iungat nos oratio,
Digne quibus est laudanda
Et laetanter celebranda
Tua ordinatio.

Brev. ms. Hamelense saec. 15. Cod. Hannoveran. I 101 b. A. — Antiph. ms. Hamelense saec. 15. Cod. Hannoveran. I 101 c. B. — Hiezu der Hymnus: Hymnizet omnis natio (Anal. XXIII, 149). — Der Name des Heiligen wird in den ss. durchweg Bonifacius geschrieben.

62. De sancto Botuido.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Triumphantis militiae
Regem laudemus hodie,
Laudabilem in saecula,
Qui filiis ecclesiae
Militantis in acie
Nova confert solatia.

2. Regnum collaudat Sueciae
Patrem misericordiae,
Nam post plura miracula
Sancti viri reliquiae
Mirae dantur memoriae
Divina providentia.

3. Sanctus Botuidus erigit
Elisos, iustos diligit,
Iure custodit advenas,
Pupillos pie suscipit
Et compeditos eripit,
Amor fovet indigenas.

4. Visu caecos illuminat,
Dispersos multos glutinat
Unitati catholicae,
Incredulos humiliat,
Contritos corde solidat
Vigore patientiae.

5. Lauda Christum, plebs Suecica,
Collegit aula caelica
Patronum tuum inclitum,
Cui confidenter supplica,
Quod tibi sors angelica
Detur post mortis exitum.

Ad Magnificat.

A. Botuide, tiro nobilis,
Victor scandens de proelio,
In morte rosae similis,
Vita candenti lilio,
Nos huius viae labilis
Latentes in exsilio
Coniunge, martyr humilis,
Sanctorum domicilio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi canamus dulciter
In psalmis, hymnis, canticis,
Qui martyres perenniter
Coronis ornat caelicis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fructum suavem protulit
Lignum pulchrum in tempore,
Quod verbo patris obtulit
Semet fideli pectore.

2. Hic in timore Domini
Se disciplinae subicit,
Novo conformis homini
Vetustum iugum proicit.

3. Voce clamat ad Dominum,
Dum surgit tribulatio,
Tumorem sedat fluminum
Superna consolatio.

Responsoria.

1. Rosa rubens egreditur
De spinarum acumine,
Gemma terrae subtrahitur
Praecellens pulchritudine,
Botuidus cum producitur
Ex paganorum semine,
V. Aurum splendens efficitur,
Argentum purum redditur
Purgatum a rubigine.

2. Propheta spernit patriam
Sperans honorem gloriae,
Athleta terram propriam
Fruendae spe victoriae,
Botuidus sequens aquilam
Solem quaerit iustitiae;
V. Sanctam servat modestiam,
Dat creatori latriam
Contemptor idolatriae.

3. Sicut gravatus senio
Cervus flumen desiderat,
Ad aquas pro remedio
Tracto veneno properat,
Botuidus sic diluvio
Baptismi se regenerat;
V. Syrus Iordanis fluvio
Lotus repletur gaudio
Reversus, unde venerat.

3. Iusto Dei iudicio
Percutitur inedia,
Pravae linguae detractio,
Plena semper invidia,
Succedit pro convicio
Prona misericordia;
V. Quem tenuit defectio,
Duplex cibat refectio
Paterna dans remedia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Virtus Dei mirabilis
Sanctum suum mirificat,
Qui status commendabilis
Exemplis se sacrificat.

2. Scuto salutis tegitur
Divinae se subiciens
Voluntati, qua regitur
Omne bonum perficiens.

3. O nomen admirabile
Botuidi, bonis moribus
Ornatum, quod fit simile
Rebus nobilioribus.

Responsoria.

1. De Sodoma Loth exiens
In monte servat animam,
David salvatur fugiens,
Ioseph evadit dominam,
Iustus currit pertransiens
Ad urbem munitissimam;
V. Pauperibus compatiens
In caelo parat sapiens
Mansionem tutissimam.

2. Lampas ardens virtutibus
De facili contemnitur,
Quia dignus honoribus
A stultis non diligitur;
Veris adoratoribus
In tenebris lux oritur,
V. Dum proximi laboribus
Et inopum gemitibus
Facto, dicto succurritur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sicut passer nidificat
In tecto solitarius,
Quietem sibi fabricat
Excellens operarius.

2. Decore pudicitiae
Martyr almus emicuit,
Flore nitens munditiae
Deum videre meruit.

3. Completo desiderio
Coronam tenens auream
Meretur pro martyrio
Digne Botuidus alteram.

Responsoria.

1. Draco serpentem suscitat
Dormientem in gremio,
Sciens, quod nullus vigilat,
Hostis peior domestico,
Hinc Sisaram dum latitat,
Iahel necat sub pallio.
V. Behemot umbram visitat,
Servum dolosum agitat,
Intentum homicidio.

2. Dei lucens imagine
Auri dragma dum perditur,
Opus exstat indagine,
Tota domus evertitur,
Sapientis examine
Tantus thesaurus quaeritur.
V. Ut nubes duxit lumine,
Sic avis tristes carmine
Vocat, quo martyr moritur.

3. O nardus odorifera,
Aegris sana corporibus,
Apis fructu mellifera,
Corda mulcens dulcoribus,
Precatus offer munera
Christo pro peccatoribus,

V. O vinea fructifera,
Translata super aethera,
Nunquam marcescens floribus.

5. Laus eius in ecclesia
Post mortem iuste colitur.
Qui diligens humilia
Vento laudis non frangitur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sedes parata militi
Certanti pro iustitia
Monstrat, quanti sint meriti
Eius pia suffragia.

2. Turba languens, quae flagitat
Huius sancti praesidia,
Curata Deo iubilat
Tanta laudans magnalia.

3. Gentes in terra dirigit
Per vias rectas gradiens,
Manum cadenti porrigit
Plures aversos corrigens.

4. Fontes novi scaturiunt
Sancto dantes obsequium,
Pisces aquae conveniunt
Ad martyris imperium.

Ad Benedictus.

A. O turris fortitudinis,
Candens nocte carbunculus,
Corona pulchritudinis,
Purae murrae fasciculus,
Columna rectitudinis,
Caecis et claudis baculus,
Noster ad sedem luminis
Promotor esto sedulus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Vale, robur debilium,
Monstratus ab avicula,
Consolator flebilium,
Puritatis ovicula,
Te pugilem mirificum
Tua laudat plebicula,
Numen petit salvificum
Sua deflens pericula,
Quam per tuum auxilium
Vitae subacta nebula
Tractu ducat ad filium
Pater vivens in saecula.

Brev. Strengnense imp. Holmiae 1495. — Zu diesem Officium gehören die Hymnen: In 1. Vesp.: Gaude, caelestis civitas (Klemming I, 50); ad Noct.: Haec est dies, quam Dominus (Klemming I, 52); in Laud: Botuidi laudes colere (Klemming I, 58). Verfasser derselben wie des Officiums ist nach Klemming l. c. 59 Birgerus Gregorii, Erzbischof von Upsala (1366—1383). Dann ist derselbe auch Dichter der Sequenz: Caeli chorus esto gaudens. Woher Klemming seine Angabe genommen, verschweigt er leider. Dieselbe ist aber, ganz abgesehen von der Autorität dessen, der sie macht, sehr glaubwürdig; denn wir fanden Birger bereits als Dichter eines Reimofficiums auf Birgitta. Dies Officium Botuidi folgt überdies mit einziger Ausnahme der Laudes-Antiphonen völlig dem Schema der Historia s. Birgittae. In dem Breviarium Strengnense steht natürlich eine Autorangabe, wie ich eigens hervorhebe, nicht.

63. De sancta Breowa.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ad caelos vexit
pia magnificentia regis
Imbutum spiritum
Breowae dulcedine legis.

2. Enarrant caeli
Domini magnalia celsi,

In cuius thalamo
requie fruitur sua virgo.

3. Qui mare fundavit,
caelum terramque paravit,
Ipse suam Breowam
in sancto monte locavit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Complacuit Breowae
species et pulchritudove
Regi caelorum,
quod erat sibi gratia morum.

2. Adiuvit Breowam
Dominus vultu decoratam,
Unde nec ipsa Deum
submovit mente supremum.

3. Montibus in sanctis
manet inter Breowa puellas,
Civis enim Domini
portas invenit apertas.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cantabat Domino
virgo nova cantica laudis,
Cuius opem sensit,
dum terserat organa fraudis.

2. Regnat cum Domino
mater Breowa in paradiso,
Illuxere sibi
quia divi fulgura verbi.

3. Dextera salvantis,
quae mirabilia fecit,
Insignem signis
Breowam decorando peregit.

Cod. Londinen. Titus D XXIV. (ol. S. Mariae de Ruford) saec. 12. Diese Antiphonen stehen in der Handschrift wie ein fortlaufendes Gedicht geschrieben, was sie nach Ausweis des Inhalts nicht sind. Man vgl. die Psalmen des Commune virginum.

64. De sancto Brinolpho.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Brinolphi patris merita
Laudando prosequamur,
De vita cuius inclita
Sectanda gratulamur.

2. Ab universis populis
Rex regum collaudetur,
Quem grex praeclari praesulis
Devote confitetur.

3. Ortus praeclaro germine
Iam scholis applicatur,
Scripturae sacrae flumine
Potatus inerassatur.

4. Hic puer, purus animo,
Virtutibus perfectus,
Coepit servire Domino
Pudicus, simplex, rectus.

5. Gaude, felix Vesgotia
Laudando salvatorem,
Qui talem sua gratia
Tibi dedit pastorem.

Ad Magnificat.

A. O praesul eximie,
nihil omisisti,
Quod ad laudem cederet
matris Iesu Christi;
Tu scripturae veteris
mella collegisti,
Texturae mirabilis
modum invenisti,
Prosae carmen aureum
dum intexuisti.
Ad tribunal iudicis
nos securos sisti
Fac, rogamus supplices,
sis dux, ut fuisti.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Concinentes adoremus
Confessorum Dominum,
Et constanter invocemus
Brinolphi suffragium.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Legem Dei vir beatus
Meditando iugiter
Secus rivulum plantatus
Fructum fecit dulciter.
2. In virtutum montem scandens
Velut tuba sonuit,
Legem Dei plebi pandens
Iniquos compescuit.
3. Verbo vitae gregem pavit
Praesidens salubriter,
Lupos arcet tamquam David
Dimicans viriliter.

Responsoria.

1. Gemmae iubar pretiosae
Vita vicit praesulis,
Qui doctrinae radiosae
Lucem dedit saeculis,
Viam vitae fructuosae
Demonstrans discipulis.

V. *Super montem excelsum ascende tu, qui evangelizas Sion, et clama in fortitudine.*

2. Ut Samuel pro populo
Preces fudit ad Dominum
Devotas incessanter,
Sic gregi sibi credito
Deum facit propitium
Pastor orans instanter;

V. *Multum enim valet deprecatio iusti assidua.*

3. Ut Iosiae memoria,
Dum in exemplum trahitur,
Fragrat ut sucus florum,
Sic huius viri gloria
Suaviter diffunditur
Ut odor pigmentorum.

V. *Iustus germinabit sicut lilium et florebit in aeternum ante Dominum.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Invocantem exaudivit
Deus suum famulum,
Linguam eius erudivit
Ad docendum populum.
2. Cinctus zona castitatis
Sanctam vitam praedicat,
Transgressores honestatis
Iusta poena vindicat.
3. Aqua sibi ter oblata
Ter in vinum vertitur,
Sic est eum consolata
Mater Christi, dum colitur.

Responsoria.

1. Dum stomachi doloribus,
Lentis quidem, sed iugibus,
Vir iustus cruciatur,
In multa patientia
Virtutis exercitia
Portando gratulatur.

V. *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.*

2. Dum rex ipsum persequitur,
Fugam capit vir Dei.
Constanter post revertitur,
Occurrit stagnum ei,
Ventorum vi repellitur,
Clamat ad fontem spei.

V. *Cum invocarem, exaudivit me Deus iustitiae meae, in tribulatione dilatasti mihi.*

3. Spes sanctae fortitudinis,
Christus ei placatur,
Ventus cessavit turbinis
Et aura grata datur,

Virtute sacri flaminis
Cor regis mitigatur.

V. *Nolite tangere Christos meos et in prophetis meis nolite malignari.*

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Saeva cedit discordia,
Rex sanctum veneratur,
Pax redit et concordia
Sic regnum solidatur.

2. Helenam sanctam viduam,
Quam praesul invocavit,
Historiam per congruam
Decenter honoravit.

3. Divinum per suffragium
Caecum illuminavit
Petentesque divortium
Sagaciter pacavit.

Responsoria.

1. Tanti patris praesulatum
Lauda, felix Suecia,
Sacrum germen a te natum
Comitare gratia,
Fac, ut illum advocatum
Habeas in patria,
Ne post huius vitae statum
Caeli desint gaudia.

V. *Domine, dilexi decorem domus tuae et locum habitationis gloriae tuae.*

2. O Dei miseratio,
Vir sanctus precum studio
Defunctos suscitavit,
Hos confitentes scelera
Compunctos solvit dextera,
Quos Deo commendavit.

V. *Qui educit vinctos in fortitudine, similiter eos, qui exasperant, qui habitant in sepulcris.*

3. Fortis gigas in acie,
Loricam fers iustitiae,
Brinolphe, pastor pie,
Corroborans ad proelium
Pias mentes fidelium,
Elide robur hostium
Post cursum huius viae.

V. Posce nobis, sancte pater,
Gratiarum munera,
Tua prece Iesu mater
Nos ducat ad aethera.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Servus prudens et fidelis
Mole carnis posita
Supra multa fit in caelis
Constitutus abdita.

2. Nos ad fontem gratiarum
Suis ducat meritis,
Ubi salus animarum
Gustatur ex intimis.

3. Vigilavit diligenter
Ad Deum diluculo,
Vita, verbo sapienter
Lucem dedit saeculo.

4. Magnificemus Dominum
In suo confessore,
Nobis illum propitium
Reddat pro suo more.

5. Sub nube stella tegitur
Et tenebris velatur,
Sed populo lux oritur,
Dum mente serenatur.

Ad Benedictus.

A Matutina stella luxit,
Dum errantem hic instruxit
Et per viam vitae duxit
Sanctus praesul populum;
Pastor pie, roga regem,
Cuius tu zelasti legem,
Ut nos pascat, suum gregem,
Donans vitae poculum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Vale, tu praesidium
et spes Vesgothorum,
Tolle tuis precibus
quod est indecorum,
Dentes tunde baculo
rapaces luporum,
Ne grex ipse pereat
defectu pastorum.
Ante summum iudicem
causas correorum
Constanter defendito
iure meritorum,
Si desperes vincere,
non declina forum,
Immo nobis advoca
reginam caelorum.

Brev. Scarense imp. Holmiae 1495. — Hymnen: In 1. Vesp.: Tu parens nato debita (Klemming I, 62); ad Noct.: Noctis iam cedat otium (Ibid. 64); in Laud: Aurora lucis rutilat (Ibid. 59).

65. De sancto Cannico.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. O pastor pie Cannice,
Gregem benigne respice,
Turmae concivis caelicae,
Christo nos caros effice.

2. Tu excelsus
in verbo gloriae
Illustrasti
partes Hiberniae,
Quibus monstras
viam iustitiae,
Hos commenda
divinae gratiae.

3. Rogum in Italia
Ardentem vicisti,
A quo Dei gratia
Illaesus existi,
Gehennae nos libera
Ab ardore tristi.

4. Tuam nobis
pande clementiam,
Qui sedasti
maris saevitiam,
Ut compescas
omnem malitiam,
In hoc mundo
nobis contrariam.

5. Ex quo Dei munere
Caelos ascendisti,
Digne Deo vivere
Fac nos servos Christi,
Qui defunctis reddere
Vitam potuisti,
In terris dum vixisti.

Ad Magnificat.

A. Ad sancti Cannici
Laeta sollemnia,
Viri mirifici
Per signa varia,
Laude multiplici
Plaudat ecclesia,
Quo possit effici
Consors in gloria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus unicum
Rerum conditorem,
Collaudantes Cannicum,
Christi confessorem.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vivens sine macula
Iuste sanctus iste

Intrat tabernacula
Tecum tua, Christe.

2. Praeventus a gratia
Benedictionis
Laetatur in gloria
Exsultationis.

3. Manibus innocuum,
Puro corde mundum
Christus levat Cannicum
In montem iucundum.

Responsoria.

1. Sermo multis populum
Lacrimis rigavit,
Quem Deus per angelum
Sancto revelavit,
Grande per miraculum
Bis mare sedavit;
V. Ignis habitaculum
Sancti concremavit,
Apertus periculum
Liber ignoravit.

2. Cannice, currens
viam compendii,
Iam triumphans
in meta stadii,
Satiatus
de fonte gaudii,
Ad te, pater,
suspirant filii;
V. Caro, mundus,
daemon vi proelii
Nostri cursum
turbant exsilii.

3. Facto sero vineae
Cultor muneratur,
Clarum tenens vespere
Carne separatur,
De lacu miseriae
Spiritus levatur,
Carnis liber tegmine
Caelo collocatur;
V. Cuius sacer exitus
Per Christum divinitus
Signis illustratur.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Decantemus Cannici
Laudes ad honorem,
Qui iam regni caelici
Induit decorem.

2. Laetanter magnalia
Sancti praedicate
Et in eius gloria
Deo iubilate.

3. In noctis vigiliis
Deum sitiebat,
Pietatis studiis
Dies impendebat.

4. Benedicant Dominum
Chrisi confessores,
Qui caelestes Cannicum
Vexit ad honores.

5. Laudent regem gloriae
Cuncta, quae creavit,
Qui ad caelos hodie
Cannicum levavit.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus,
Qui nos visitavit,
Per quem sanctus Cannicus
Languidos sanavit,
Sua prece mortuos
Plures suscitavit,
Dirigendo devios
Viam pacis stravit

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Dulcescat filiis
Patris memoria,
Cuius prodigiis
Viget Ossoria,
Sacris praesidiis
Floret Kilkenia,
Eius suffragiis
Donentur gaudia
Nobis in patria.

Per Octavam.

super Benedictus.

A. Ave, o flos Hiberniae,
Dux et patrone Scotiae,
Miles regis iustitiae,
Confessorum eximie,
Sancte pater,
Cannice iuste,
Pro iniustis
Deum deposce,

A. Ave, pater pretiose,
Laus gentis Hiberniae,
Miles Christi gratiose,
Virtutum vas, Cannice,
Qui sedato virtuose
Motu carnis lubricae
Nactus es victoriose
Sedis locum caelicae,
Nunc, confessor gloriose,
Vultu, voto supplici
Tibi tam affectuose
Assistentes respice.

A. Ave, confessor nobilis,
Pie pastor laudabilis,
Flos abbatum, o Cannice,
Tuas oves serva sane,
Arce lupos, ne taedium
Gregi vis ferat hostium.

Antiph ms. Clondalkinense saec. 15. Cod. Coll. SS. Trinitatis Dublinen. B 1. 3. — Leider ist gerade an der Stelle dieses Officiums ein Blatt der Hs. ausgerissen, auf welchem sich die erste und zweite Nocturn befand. Es ist nur noch der Anfang der ersten A der 1. Noct. vorhanden:

Sanctus abbas Cannicus
Christo complantatur,
Verbo, vita . . .

Hiezu die beiden Hymnen Anal. XI Nr. 159 und 160.

66. De s. Carolo Magno.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Regali natus
de stirpe Deoque probatus,
Carolus illicitae
sprevit contagia vitae.

2. Angelici cultus
dulcedine miles adultus
Dum sublimatur,
caelesti pane cibatur.

3. Sacros effectus
virtutis Caesar adeptus,
Humani fastus
populares respuit astus.

4. Iustitiae parma
fidei munitus ad arma
Mentibus infestum
superavit criminis aestum.

5. Nec mundi terror
nec avarus muneris error
Fregerunt mentem
Christi mandata sequentem.

R. Te secutus miles iste
Et acceptus tibi Christe,
Comparatur Elisaeo,
Opus egit dignum Deo,

V. Qui dum orat, languor cedit,
Mors fugatur, vita redit.

Ad Magnificat.

A. O spes adflictis,
timor hostibus, hostia victis,
Regula virtutis,
iuris via, forma salutis,
Carole, servorum
pia suscipe vota tuorum.

In Completorio.

Ad Nunc dimittis.

A. Rex confessor iustitiae,
Pelle noctem perfidiae,
Tuis fulti suffragiis
Eruamur ab impiis,

Ne daemonis illusio
Sit soporis abusio.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Supplex exora
Deum, devotio pura,
Qui, quem dilexit,
Carolum super aethera vexit.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Iuxta sanctarum
rivos plantatus aquarum,
Carolus in florem
vernum produxit odorem.

2. Visio monstrata
regi de rege beata
Consonat emeritae
Christo sine crimine vitae.

3. Qui Constantino
veniens habitu peregrino
Reddidit utrumque
regimen gentisque suumque.

Responsoria.

1. Francorum gemma, Carolus,
Puer gerens cor senile,
Sortis humanae sciolus
Gessit nihil puerile,
Mundum spernit, opes cavit
Sequens Christum, quem amavit.

V. Divinae legis
amplectens iustitiam
Litavit Deo
se placentem hostiam.

2. Tota poscente Francia
Et applaudente curia
Sceptro regni decoratur
Et prae cunctis exaltatur,
Quem Deus regia
Dignatur gloria;

V. Vitiorum triumphator
In agone
Consecratur imperator
A Leone.

3. Saecularis potentiae
Caesar fretus gladio,
Sic legis iustitiae
Cucurrit in stadio,
Ut salutis et gloriae
Potiretur bravio;

V. Agonizans viriliter
Cuncta gessit fideliter.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Martyrii signum
renovatur in arbore lignum
Usibus aptatum
belli ferroque dicatum.

2. Quam bonus et fortis,
quam sanctus in aggere mortis
Hic fuit, hastatum
nemus indicat inde creatum.

3. Quos Christus donat
merito, quos poena coronat,
Effigie pulchra
perhibent inventa sepulcra.

Responsoria.

1. Fusa prece mentis bonae
Muri ruunt Pampilonae,
Spreto cultu infelici
Victor, victi sunt amici;

V. Leone fortior,
Sed agno mitior,
Hostes Christo
Regenerat baptismo.

2. De petrarum duritie
Siccisque elementis
Aquarum fluenta viris
Produxit et iumentis
Imperator
Mitissimus
Et fidei propugnator
Sanctissimus.

V. Qui Moysi oraculo
Templum non urentem
Vidit ignem in tabernaculo
Caelos tangentem.

3. Divino clipei
super urbem sole rubentes
Absterrent hostes
conversa caede furentes,

V. Et totidem iuvenes
arcent a moenibus ignes.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Aethereum rorem
lignum suscepit, odorem
Dans contra morem
produxit laurea florem.

2. Cuius odor late,
longe diffusus et alte
Aegris divinae
tulit auxilium medicinae.

3. Dum praesul plorat,
plebs psallit, clerus adorat,
Ad sacra rex tendit,
chirotheca relicta pependit.

Responsoria.

1. O quam felicis
imperatorem memoriae,
O virum virtutis
et plenum gratiae,
Quem ales in solitudine
Solatur humano famine,
Qui sanctam urbem recensuit
Et patriarcham restituit;

V. Inter multa
Constantini donaria
Divinae mortis
elegit supplicia.

2. Laetare, pia mater,
Aquensis ecclesia,
Exsulta, tam pii principis
habere suffragia,
Qui sua regali
munificentia
Te ditavit et beavit
in gloria,

V. Cuius labore, impensa
et opere
Meruisti universas
praecellere.

2. Gloriose
Christi confessor, Carole,
Iuris rector
et protector iustitiae,
Ad te clamantium exaudi
preces et vota tuorum,

V. Ut post huius
vitae dispendia
Tecum semper
fruamur gloria.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Praecinctus fortitudine
Et potitus victoria
Donatur sanctitudine
Rex Carolus in gloria.

2. Iubilemus altissimo
In athleta sanctissimo,
Cui missa per spiritum
Cerva duxit exercitum.

3. In deserto dum devias
Et exponis excubias,
Tibi Deus adparuit,
Ales viam exhibuit.

4. Passionis dominicae
Veneratus miracula,
Regem virtutis caelicae
Benedixit in saecula.

5. Passionis dominicae
Laudes dicamus Domino,
Qui culpae misit regiae
Chartam latorem veniae.

Ad Benedictus.

Sol defectu, luna tenebris
Fuscato mundi lumine,

Terra motu, caelum latebris,
Aer horrendo turbine,
Pandunt luctus casus funebris
Confuso rerum ordine.

V. Ut nos a palea
Et latere
Aegyptii torrentis
Eruamur virtute dexterae
Potentis.

In 2. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Dissolutus in corpore
Gaudet cum Christo unice,
Christi confessor Carolus,
Cuius caeli consortio
Nos commendet oratio.

R. Confessor obsequio,
Caesar Carole,
Martyr affectu, gladio
Apostole,
Ad tuorum suspiria
Convertere,

Ad Magnificat.

A. O Dei sacer athleta, Carole,
O saxeae gentis apostole,
O vere confessor obsequio,
Virgo votis martyrque studio,
Qui, quem virtute potentis
Dexterae praedicasti,
Mentibus sacrilegis
Paraclitum inspirasti,
Mediante sancto Aegidio
Sanctionis dominicae mysterio,
Caelitus per angelum collatam
Implora nobis peccatorum
veniam.

Antiph. ms. Aquisgranense saec. 13. Cod. Capit. Aquisgranen. s. n. A. — Brev. ms. Aquisgranense saec. 15. Cod. Florentin. Magliabec. XXXVI 7a. B. — Brev. ms. Aquisgranense saec. 15. Cod. Florentin. Magliabec. XXXVI 7b. C. — Brev. ms. Coloniense saec. 14. Cod. Sigmaringen. 14. D. — Brev. ms. Garstense (?) saec. 14. Cod. Lincen. $I\beta$ 19. E. — Antiph. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Pragen. XIII A 5b, F. — Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Fiechten. 247. G. — Brev. ms. Gerundense saec. $^{14}/_{15}$. Cod. Gerunden. 3. H. — Brev. ms. Gerundense saec. 15. Cod. Parisin. 1309. I. — Brev. ms. S. Iacobi Brunen. 34 saec. 15. K. — Brev. ms. Ebersbergense saec. 15. Clm. Monacen. 5972. L. — Brev. ms. Emmeramense saec. 15. Clm. Monacen. 14790. M. — Brev. ms. S. Nicolai Patavien. saec. 15. Clm. Monacen. 16140. N. — Brev. ms. Lubicense saec. 15. Cod. Lubicen. ol. 62. O. — Brev. ms. Monasteriense saec. 15. Cod. Monasterien. 201(204) P. — Cod. Berolinen. Theol. lat. Fol. 486. saec. 15. Q. — Brev. ms. Philippi Boni saec 15. Cod. Bruxellen. 9511. R. — Brev. ms. Parisinum saec. 15. Cod. Carlopolitan. 146. S. — Brev. ms. Monasteriense saec. 15. Cod. Darmstadien. 950. T. — Brev. ms. S. Bartholomaei Francofurten. saec. 15. Cod. Francofurten. Barth. 114. U. — Brev. ms. S. Bartholomaei saec. 15. Cod. Francofurten. Barth. 65. V. — Brev. ms. Sedunense saec. 15. Cod. Valerian. s. n. W. — Brev. ms. Montis Iovis saec. 15. Cod. Valerian. s. n. X. — Brev. ms. Turicense anni 1462. Cod. Eremiten. 81. Y. — Brev. Mindense imp. s. l. anno 1515; Z. — Brev. S. Servatii Traiecten. imp. Coloniae 1503. a. — Brev. Hallense imp. Lipsiae 1534. b. — Brev. Sedunense imp. s. l. et a. c. — Brev. Sedunense imp. Basileae. 1497. d. — Brev. Pragense imp. Nurembergae 1502. e.

In 1. Vesp. **A** 3, 4 respuit actus E. — Ad Magn. **A** O Dei sacer athleta etc. E; vgl. in 2. Vesp. — Die fünf **AA** stehen in 2. Vesp. cd. — Invit. 1. Duplex exora E. — In 1. Noct. **A** 3, 3 Reddit Y. — **A** 3, 4 regnum Y. — In dieser Nocturn lauten in F:

A. 2. In virtute tua, Christe,
Sanctus nunc laetatur iste,
Quem corona gloriae
Decorasti hodie.

A. 6. O athleta Christi care,
Nostri semper recordare
Coram Deo, summo rege,
Cuius militasti lege.

R 2, 4 Gloria et prae F. — In 2. Noct. A 1, 3 aptatur E. — A 1, 4 dicatur E. — A 2 und 3 umgestellt E. — A 3, 2 quos poena fehlt Y. — A 3, 3 Effigie sacra E, scite Y. — R 1, 2 ruunt papilione Y. — R 2, 11 sq. Lies: Vidit in tabernaculo Ignem caelos tangentem? — In 3. Noct. A 1, 1 Aeternum rorem F. — A 1, 4 laureare florem E. — R 2, 1 Laetare pio festo EY. — R 2, 2 Birgensis ecclesia E, Thuregensis ecclesia Y. — R 2, 3 Exsultata sancti E, tam sancti FY. — R 3, 1 Gloriose rex confessor F. — In Laud. A 5, 4 lacertam veniae F. — Ad Bened. A, 1 Solis defectus E. — In 2. Vesp. ad Magn. A O spes adflictis etc. E; vgl. in 1. Vesp.

Übergangen sind jene Abweichungen und Umstellungen, welche nur dem Umstande zuzuschreiben, dafs einige Quellen monastische Form des Officiums haben, da diese hier nicht in Betracht kommt. Zum Officium gehört der Hymnus: O rex orbis triumphator (Daniel I, 305); E hat statt dessen: Hic est verus Christicola (Dan. I, 303). Die reiche Zahl der Quellen, die leicht zu vermehren wäre, bekundet die weite Verbreitung der Verehrung Karls d. Gr. Zu vgl. ist rücksichtlich der Einführung des Festes in Zürich die interessante Notiz bei Morel 249.

67. De sancto Castulo.

In 1. Vesperis.

R. Nomen eius sic est dictum,
Nefas tergat et delictum,
Victum donet et amictum
Et post vitam prosperam,
Quae non ducit perperam.
V. Castulus hic sanctus,
quem non sequitur modo planctus,
Astet filio caeli
pro nobis corde fideli.

Ad Magnificat.

A. Sanctus iste Castulus,
Martyr ut apostolus,
Quem honoret populus,
Ut sit nobis loculus
In caeli secretis;
Illi laudem detis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus omnes Christum,
Castulum qui sanctum istum
Voce evangelica
Transduxit ad caelica.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hos, quos Deus praeelegit
Castulus et quos collegit
Romae in palatio,
2. Ieiunabant et plorabant
Fletusque lugubres dabant
Hi sine solatio.
3. Gaio quos papae duxit,
In quo verum lumen luxit,
Scripti probat ratio.

Responsoria.

1. Lex per Diocletianum
Est lata sanctis in vanum
Et descripta taliter,
Omnes ut sacrificarent
Diis eosque adorarent
Diversi aequaliter,
Quia non suspicio
Suo sit palatio,
V. Ad quod currebant
iusti secumque manebant.
2. Erant autem hi praefati
Omnes simul congregati
Sub tormento vario
Cordis ex ergastulo
Gaius cum Castulo
Ratione zetario,

V. Orantes Christum,
ut metum tergeret istum.
3. Commanebant secum sane
Christiani, Christianae
Se celabant pariter,
Ascendebant domum eius,
Palam ut vitarent peius,
Rapuerunt sic iter,
Quos sumit cum gaudio
Aulae in palatio;
V. Hos confortabat
et christicolas adiuvabat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Multa per hunc mira dedit,
Cordi suo qui praesedit,
Christus, forma omnium
Et plasmator hominum.
2. Luctus convertit in risum,
Claudis gressum, caecis visum
Dei patientia
Dedit atque gratia.
4. Aegris confert sanitatem
Per divinam pietatem,
Medelam languentibus
Spe Christum quaerentibus.

Responsoria.

1. Fidus nam discipulus,
Cultor Dei Castulus
Audit querimonias,
Qui tamquam ramusculus,
Paradisi flosculus
Servans caerimonias
Fraude diabolicos
Sprevit et maleficos,
V. Diversis factis
et in omnibus ipsius actis.
2. Inde papae Gaio
Duxit pro oblagio
Quosdam latitantes,
Qui ut in obstagio
Et cordis homagio
Iacebant clamantes:
Venerande plus quam quatter,
Sumas id, quod Christus pater
Per me suum servum dedit,
A quo mens mea non cedit.
V. Ad papae sedem
cunctos collegit et aedem.
3. Omnes erant baptizati
Sacro lavacro renati
Et sanctorum numero
Certius sunt aggregati,
Divino rore perflati
Culmine florigero
Et ad patris aethera
Transierunt revera.
V. Perficiendo fidem
non manserunt quasi pridem.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Multos hic ad fidem duxit,
Qui ut splendor mundi luxit
Dictis et operibus
Divinis muneribus.
2. Virtutesque tot signorum
Tantorum prodigiorum
Per hunc fecit Dominus
Eminus et comminus.
3. Scripta ac perpetuata
Sunt sigillo sigillata
Dei patris Domini,
Sit laus suo nomini.

Responsoria.

1. Nostris posteris in dignum
Et memoriale signum
Enarrandum duximus,
Pentecostes festo quodam,
Velut his in scriptis prodam,
Inundabat Isera
Sic, quod multi tunc pergentes
Plaustris et iter agentes
Desperabant spe mera;
V. Pons quod erat scissus,
in Iseram populus missus.

2. Tandem Christus per athletam
Suum sanctumque prophetam
Populum eripuit,
Unus remo navigando,
Alter manibus natando
Ad siccum prosiliit
Castuli clementia
Ac Dei ex gratia;
V. Sic sunt erepti,
fluvii de clade redempti.

3. Inter quos erat femella
Casta, simplex ut agnella,
Vestis prae gravedine
Corruit itidem in flumen,
Sed ei divinum numen
Subvenit summopere,
Quae tribus in Isera
Fuit diebus misera,
V. Mortem passiva
fuit in Mospurg rediviva.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Illud quando resciretur,
Mira quod operaretur
Tanta sanctus Castulus,
Fidei ramusculus,

2. Caesar incepit saevire
Propter factum laudis mirae,
Quod fecit in palatio,
Scripti probat ratio.

3. Misit mox pro Fabiano,
Romae tunc praefecto vano,
Arto loco ponitur
Castulus, ut legitur.

4. Non bene potest narrari
Nec ad plenum explicari,
Quanta est supplicia
Passus et convicia.

5. Inde ad tribunal ductus
Non timoris gerens luctus,
Praeses dixit propere
Malo stans in opere:

Ad Benedictus.

A. Si non deos adorabis
Meos et his sacrificabis.
Tormentorum genera
Sumes, haec considera;
Cui vir sic sanctus dixit,
Qui in Christo spem defixit,
Corde sine trepido:
Modicum te timeo.

Brev. ms. Pedepontanum anni 1398. Cod. Meliten. Pragen. 8. — In 1. Vesp. R, 8 lies Deo caeli? — In 1. Noct. R 1, 2 Est illata. — R 1, 10 omnes iusti secumque; entweder omnes oder iusti zu tilgen. — In 3. Noct. A 1, 4 Ex divinis. — A 3, 3 Domini fehlt. — R 1, 1 in fehlt. — R 1, 6 Ysera. — R 1, 11 Yezeram. — Das Officium stammt jedenfalls aus Mosburg, wo Castulus Patron war. — „Cetera omnia, hymni, capitula, responsoria, missa de uno martyre; in 2. Vesp. omnia de uno martyre tempore quadragesimali."

68. De sancta Christina.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Adest dies celebris,
In quo virgo nobilis
Christina vicit tartara,
Quae nunc fulget in gloria.

R. O martyr Christi,
sacra virgo, quae meruisti
Vincere tormenta,
congaudens nunc super aethra.
Pro nobis ora
rogando Deum necis hora.

V. Cum sis aurora
caelestis, virgo decora.

Ad Magnificat.

A. O benigna Christi cella,
Labe carens, et puella
Functa Dei nomine,
Martyr sacra sine spina,
Super caelos es, Christina,
Sine viri vomere,
Nos ad te clamantes audi,
Assistentes tuae laudi
Christo reconcilia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus Deo caeli,
Qui beatam suae sedi
Christinam iunxit gloriae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec beata martyr, Christe,
nomen tuum praedicabat
Et in universo mundo
admirabile laudabat.
2. Haec est, quam caeli enarrant,
Et opera eius decantant,
Intime dilexit Christum
Et oratione flexit istum.
3. Super caelos hanc locavit
Caelorum rex altissimus,
Et corona adornavit
Illam clemens Dominus.

Responsoria.

1. In diebus illis
Erat quaedam puella
Ex genere nobili
Orta, quam Deus amavit
Et in caelis adornavit,
Nomine Christina,
V. Quam sic dilexit
et ab omni sorde reflexit.
2. Quam locavit pater amens
in sublimi solio,
Volens illam adunare
idolorum atrio,
Sed reflexa per baptisma
iuncta Dei filio,
V. Sic dominum caeli
conspexit mente fideli.
3. Haec in turrim sublevata,
Cum pedissequa locata,
Idolatra spernens vana
Et abiecit mente sana,
V. Inde fremens pater et
statuens hanc ante tribunal.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec iustitiam dilexit
Nec ad minas
tortorum respexit,
Sed ad Christi gloriam.
2. Deus, salus et refugium,
Hanc suscepisti post exitium,
Ut regnaret
tecum in perpetuum.
3. Fundata super montem sanctum.
Flebilem devincens planctum
Propter regni meritum.

Responsoria.

1. Ad tribunal iubet sisti
Pater eius vultu tristi:
Mihi dic, o filia,
Cur me tantum illusisti,
Deos meos respuisti
Et eorum culmina,
Flecte mentem iam dementem,
Ut mecum sis in gloria.
V. Martyr ad haec: Verba
tua sunt mihi mentis acerba.
2. Tyrannus tandem intellexit,
Quod beata hunc despexit
Et eius supplicia,

Ad tribunal iussit stare,
Deos falsos adorare,
Sed invicta portas mortis
Transit agonista fortis,
V. Sensibus et cana
deridens idola vana.

3. Post dirum martyrium
Reginae athletae
Pater in exitium
Datur inquiete,
Alter substituitur
Velut leo ferus,
Volens illam perdere
Tortor ut severus,
V. Sed manet invicta
Christi testis benedicta.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Annuntiate et psallite
De dilecta filia,
Quam dilexit Dominus
Et pascit inter lilia.

2. Lux orta est gratiae
In beata martyre,
Quae vivit iam cum gloria
Igitur nunc in aethere.

3. Iubilate Deo cum gloria
In sanctae martyris victoria,
Quae vicit in martyrio,
Regnat cum Dei filio.

Responsoria.

1. Iusserunt tandem tyranni
Quod capite abraso
Per devia duceretur,
Quo ad idola pertingeret,
Protinus idolum in terram
Et in pulverem redegit,
V. Hinc populus tremuit,
quod sic Apollo ruit.

2. Improbus alter Iulianus
Ignem fortem praeparavit
Et in illam beatam locavit,
Ut citius consummaretur;
Angelus Domini astitit
Et flammam discussit,
V. Sic confortata
martyr super aethra vocata.

3. Ferox tyrannus
Iussit abscindi protinus
Mamillas Christi martyris,
Quae dabant lac
pro fluxu sanguinis,
Circumvecta sic et consumpta
Migrans ad caeli consortia,
Ubi manet perpetua;
V. In testimonium
fuit hoc mirabile signum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Induta stola fulgida
Christina sacratissima,
Triste relinquens saeculum,
Migrans ad patrem luminum.

2. Iubilate Deo caeli
In laude iam fideli,
Qui beatam suam famulam
Ad aeternam duxit patriam.

3. Haec est virgo carens carie,
Quae vigilavit catholice,
Deum timens mente tota,
Dans Deo caelesti vota.

4. Hymnum decantemus Deo
in martyris victoria,
Quae iam pausat et gaudet
in caelesti gloria.

5. Laude Deo plena
iubilate voce serena,
Qui dedit aeternae
Christinae gaudia vitae.

Ad Benedictus.

A. Benedictus Dominus
In suis mirabilibus,
Qui beatam in caelesti

Collocavit eminus
Martyrem Christinam
Cum electis omnibus,
Eius interventu
Sit nobis propitius.

Ad Primam.

A. O Christina, sponsa Christi,
Tres tyrannos quae vicisti,
Nos ut ipsos superemus,
Tibi quoque corregnemus,
Tua prece tu dignare
Clemens nobis impetrare.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O quam digna martyr Christi,
Iam, Christina, tu vicisti
Tormentorum genera,
Nos consortes tuae sortis
Post mundi transitoria
Fac gaudere simul et stare
In aeterna gloria.

Brev. ms. Ebersbergense saec. 15. Clm. Monacen. 5972. A. — Brev. ms. S. Nicolai Patavien. saec. 15. Clm. Monacen. 16140. B. — In 1. Vesp. Super Ps. **A**, 3 Christina fehlt AB. — In 1. Noct. **A** 1, 4 laudavit A. — **A** 2, 1 Haec est quae AB. — **R** 3, 2 pedissequis B. — In 2. Noct. **R** 1, 10 Lies mihi nimis? — **R** 3, 3 in fehlt AB. — In 3. Noct. **A** 1, 4 pascit illam inter AB. — **A** 2, 3 vicit A. — **R** 1, 1 Iussit . . . tyranni AB. — **R** 2, 4 Lies consumeretur? — In Laud. **A** 4, 4 In coeli gloria AB. — **A** 5, 2 Iubilans voce AB. — Die Hymnen de communi.

69. De s. Christino cum fratribus.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Illis horis et momentis,
Dum polleret sacrae mentis
Deo gratus imperator,
Henricus, Christi zelator,
Quini exstiterunt fratres,
Exemplares pii patres.

2. Nullum dolum sentientes
Inter mundi diras sentes
De partibus Poloniae
Nobis transmittis, Domine.

3. Barnabas hic erat senus,
Qui devotione plenus,
Licet poenas non sit passus,
Tamen Christum semper fassus.

4. Isti sancti martyres
Lucernae sunt et lampades
Virginum sapientium
In sponsa Christi degentium.

5. De supernis illis cura,
Se libabant mente pura
Christo suo munda tura.

R. Gratuletur Bohemia,
De pia Polonia
Hos viros sanctos advexit,
Regnum praesens hos allexit,
Laetetur tota vicinia,
Gaudeat Boleslavia
Fovens haec sacra corpora.

V. Per fratrum suffragia
Consequamur regna aetherea.

Ad Magnificat.

A. Adest dies venerabilis
Cunctis et laudabilis
In filiis Salomonis,
Qui munus benedictionis
A Christo perceperunt
Pro poenis, quas sustinuerunt
Ab impiis latronibus,
Hos sic magnificat Dominus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adest enim sollemnitas
fratrum beatorum,

Gaudium et exsultatio
irrorent nostrum chorum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Coetus iste monachorum
Non stetit in consilio impiorum,
Sed nulli cedens turbini
Mansit in lege Domini.

2. More canum fremuerunt
Fratres persequendo,
Sed ad caelos perduxerunt
Hos nesciendo.

3. Isti filii hominum
Gravi erant corde,
Dum praesentes martyres
Privant omni sorde.

Responsoria.

1. Hirta vestis non est pestis
In vere humilibus,
Rex caelestis verax testis
Exemplum dat martyribus;
V. Veste cum abiecta
penetrabis caelestia tecta.

2. Isti muti sunt locuti
Praesente tantum hospite,
Et sic tuti sunt secuti
Christum iusto tramite;
V. Hi de multis tacuerunt
Et se stultos aestimaverunt.

3. O laudabilis et rara
Vita, acceptabilis atque cara,
Dum carne domant spiritum!
Fulgent ergo fide clara,
Ut fecunda fecit Sara
Generando gaudium;
V. Vitam si quaeris,
fixam sursum mediteris.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Clamorem tu intellige,
Rex regum, pie Domine,
Et vocem orationis,
Ut iungamur caeli thronis.

2. O quanta vis dulcedinis
Iure tui nominis,
Qui per universas terras
Sedas cunctas mortis guerras.

3. In tuo tabernaculo
Habitabunt sedulo
Animae iustorum,
Ereptae de caede impiorum.

Responsoria.

1. Religio Christiana
Cum universa gente sana
Istos fratres contempletur.
Ut exemplum cunctis detur,
Per quod Christus glorificetur.
V. Exemplo fratrum
tergat Deus omnem reatum.

2. Ad honorem et decorem
Ierusalem caelestis
Laus sonora et decora
Incitetur maestis,
Ut sic grati adiuvati
Nostris adsint festis;
V. Civitas Ierusalem
Tunc aedificatur,
Cum in virtutibus
Hic firmiter statur.

3. Magno digni sunt honore,
Qui sanctorum pio more
Vitam mundi contempserunt,
Stolas suas hi laverunt
In cruore regis magni,
Ut iungantur cenae agni.
V. Ecce, veri Israelitae,
Iuncti Christo, verae vitae,
Ubi locum tenent rite.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Crumena nostra
non indiges, Domine,
Sed conserva
nos sperantes in te

Eripiens nos
a mortis tempore.

2. Haec pia generatio,
Iuncta caeli palatio,
In quo mortis privatio
Cunctorum est salvatio.

3. Multum verber latronum
Hos transvexit ad regna polorum,
Eorum sanctis precibus
Nos salvet sanctus Dominus.

Responsoria.

1. Audiens haec pius dux
Mezko, quod fidei lux
Polleret in his fratribus,
Piis congaudent actibus,
Solvi cupivit a reatibus,
Se iungens his sanctis patribus.
V. Crumenam his praesentabat
Et se totum commendabat.

2. Morte licet moriantur
Hi devoti martyres,
Non a Christo separantur,
Sed ad Christi proceres
Adiunguntur coronati,
Gaudent semper laureati
Inter caelicos cives;
V. Visi sunt oculis
stultorum decedere,
Sed nunc ovantes rutilant
stellato sidere.

3. Prima noctis vigilia
Adfuit manus inimica,
More canum saeviebat,
Censum ducis repetebat,
V. Quem Barnabas deportabat,
Qui facta fratrum attrectabat.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. O Deus omnipotens,
Qui excedis omne ens,
Qui solus tantum es potens,
Per te salvetur nostra gens!
2. O sapientiae
Magnum genus et prudentiae
Solum deum adorare,
In adventum eius stare!
3. O Adonai Domine,
Qui istis sanctis hodie
Victoriam contulisti
Et ad caelos transvexisti!
4. O benedicta gloria,
In fratrum hic memoria
Dum cantant Benedicite,
Mundi regnum abicite.
5. Omnes virtutes caelorum
Lustrent semper nostrum chorum,
Ut terrenis mitigatis
Paradisi iungamur pratis.

Ad Benedictus.

A. More canum tunc stridebant
Impii carnifices,
Dum hos fratres repetebant
In portum crucifices,
Exemplum hic martyribus
Dat benedictus Dominus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Beatorum martyrum
Celebrantes sollemnia
Perduc, rex caelorum,
Ad gaudia perennia,
Et quos pro tua
veneramur gloria,
Nobis horum apud te non desit,
quaesumus, memoria.

Viaticus ms. Olomucensis saec. 15. Cod. Capit. Olomucen, 299. A. — Brev. ms. Olomucense saec. 15. Cod. Capit. Olomucen. 288. B. — Brev. ms. S. Iacobi Brunen. 25. saec. 15. C. — Brev. ms. S. Iacobi Brunen. 30. saec. 14/15. D. —

In 1. Vesp. **A** 3, 1 erat fehlt C. — **A** 5, 1 supernis erat illis cura A, illis erat B, illis tantum cura C. — **A** 5, 2 libant ACD. — **R**, 4 Regnum patris hos A. — Ibid. 5 vicina A. — Invit. 4 Ut rorent nostrum A. — In 2. Noct. **A** 1, 1 Clamorem nostrum ABCD. — **A** 1, 3 voci A. — **R** 3, 6 Iungaverunt A. — In 3. Noct. **A** 3, 4 sanctus sanctorum Dominus ABCD. — In Laud. **A** 2, 2 et potentiae A. — **A** 4, 2 hac memoria B, haec memoria C. — Die Hymnen de communi.

70. De sancto Christophoro.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Excelsum nomen Domini
Laudent pueri cum viris,
Qui caeli iunxit agmini
Christophorum factis miris,
Ut sic prodesset homini
Solvendo a poenis diris.

R. O martyr invictissime,
Dei fultus auxilio,
Christophore sanctissime,
Quique pro Dei filio,
Quem per mare transtulisti,
Tot et tanta sustinuisti,
Martyrii privilegio
Obtine nos gaudentes
Et tua festa colentes
Iunge sanctorum collegio.

V. Christophori festo,
Deus, clementer adesto,
Ut tribuas famulis
aeterna gaudia tuis.

Ad Magnificat.

A. Gaude, sponsa nobilis,
Virgo mater ecclesia,
Fecunda tantae sobolis
Harmonia,
In festo gigantei
Christophori Chananaei
Corporis mole ponderosa,
Ortus ut de spina rosa,
Qui processit ut lilium,
Per mare Dei filium
Qui humeris portavit
Fidemque Christi dilatavit
Constans martyr in agone,
Huius intercessione
Consortes simus coronae.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi sanctorum,
quem canit grex angelorum,
In festo Christophori
psallant pia cantica cleri.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Secus magnarum
decursus [plantatus] aquarum
Christophorus gentes
transfert pro Christo petentes.

2. In virga ferens
hic Christum corpore tremens,
Cepit baptismum
maris timens cataclismum.

3. Voce praedicantis,
signo virgae floridantis
Milia septena
Deo credunt mente serena.

Responsoria.

1. Christophorus giganteus
Enormis magnitudinis,
Ex genere Chananeus
Exstans et altitudinis
Mirae vultuque terribili,
Supremo fide stabili
Recensuit omnino
Soli servire Domino;

V. Imperatorem
accessit nobiliorem,
Bellicis in rebus
serviens noctibusque diebus.

2. Regem cum attonitum
Christophorus conspiceret,
Et ad nomen diabolicum
Signum crucis conficeret,
Praesumpsit rege daemonem
Maiorem mundi principem,
Daemonis se satellitem
Optans fore et militem;

V. Ad eremum pergit,
daemonum turbam ubi cernit,
Se cui compegit,
daemoni servire subegit.

3. Daemon fugatur signaculo
Erectae crucis in strata
Quasi confossus iaculo,
Quem mente angustata
Christophorus sequitur,
Et daemonem alloquitur:
Cur invia et indirecta
Discurris et non via recta?

V. Est passus in ligno,
ait, Christus, qui sanguine suo
Me terret, horrescit
mea mens, videre pavescit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum invocaret
sanctus Deum, ut sibi daret
Linguagium rite
Lyciae, datur sibi cite.

2. Viri loquentes
falsum, sanguinem sitientes
Ducunt Christophorum
Dagno vinclis mancipatum.

3. O Deus admirabilis,
Angelis conspicabilis,
Per meritum Christopheri
Fac nos te contueri.

Responsoria.

1. Christophorus postquam malignum
Spiritum derelinquebat,
Christum regem inclitum
Per orbem quaerebat,
Tandem ad eremitam
Christicolam declinavit,
Qui ei mores et vitam
Fidelium intimavit,

V. Dicens: obsequiis
Dominum placare piis,
Christum adores,
solitos relinque furores.

2. Vir Dei, cum conspiceret
Haec Christophorum negare,
Ut egentes traiceret,
Misit ob Christum ad mare,
Confoederabis Dominum,
Dicens, per hoc obsequium,
Ne multitudo hominum
Mergatur per diluvium.

V. Christophorus citius
transvadens flumen ad litus,
Transtulit egentes
pro Christi laude petentes.

3. Quadam die dormitante
Beato in aedicula,
Voce ter sibi clamante
Ad fluminis pericula:
Christophore! veniens
Frequenter repedavit
Et pusillum reperiens
Puerum transportavit;

V. Christophori mundans
scapulas rex pressit ad undas,
Christus baptismum
donans simul et catechismum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Domino confidens,
Dagni crudelia ridens,
Carcere artatur
ferroque cippo probatur.

2. Sic milites isti
bis ducenti, quia Christi
Nomen non deserunt,
pro te supplicia ferunt.
3. Per te virtutem
sunt et secutae salutem
Per bravia bina
Nicaea cum Aquilina.

Responsoria.

1. Christophorus etiam plurimum
Coeperat admirari,
Per puerum tam minimum
Se nimis praegravari,
Cui puer in humeris
Respondens ait isti:
Mundi Deum et aetheris
Super te habuisti;
V. Dans inter signum:
terrae baculi fige lignum;
Cum fructibus flores
mox crescunt uberiores.
2. Christophorus in Cilicia
Samonque civitate
Deo fudit supplicia
Vota credulitate
Pro intellegentia
Et effabilitate
Linguae, quam providentia
Dei sapit benigne.
V. Voce praedicantis,
signo virgae floridantis
Milia septena
vota dant Christo mente
serena.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Christophorus vinctus
et ferro carcere cinctus,
Virus ut austerum
luxum sprevit mulierum.
2. Dagni clientes
virgis sanctum ferientes
Deficiunt lassi,
magis cruciamina passi.
3. Ex ferreis massis
infertur ignea cassis
Christophoro. vere
cui vis nequit ulla nocere.
4. Scamno ligatus,
ferreo piceque flammatus
Mansit et illaesus,
respuens ardoris ambesus.
5. Stipite constrictus
sagittarum pertulit ictus
Et stetit intactus
victor in certamine factus.

Ad Benedictus.

A. Rex Dagnus elatus,
sagitta monoculatus,
Sanguine sanatur,
cum Christophorus decollatur,
Accipiens fidem
Christi, quam praedicat idem,
Exsequias sancti
coluit cum populo tanti
Benedicendo
Dominum gratias et agendo.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, sancte egregie
Christi martyr Christophore,
Ave, nunc caelestis aulae
miles invicte,
Quem Chananaeorum
urbs genuit,
Berona nostra
patronum promeruit,
Ora pro populo salutem,
Cunctis et pacem
Et vitam poscens sempiternam.

Antiph. ms. Beronense saec. 16. Cod. Eremiten. 729. — In 1. Vesp. Super Ps. A, 6 poenis atris. — R. 6 Et tot et tanta. — Invit. 4 psallat. — In 1. Noct. R 3, 12 et mea. — In 2. Noct. A 2, 3 sq. Perducunt Dagno Christophorum. — R 1, 11 Christum ad ergänzt. — R 2, 3 traiceret egentes. — In 3. Noct. A 1, 4 cyppo; lies cippoque? — A 2, 3 deseruerunt. — A 2, 4 per te.

71. De sancto Christophoro.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Nitet inter agmina
Virtutum caelorum
Martyr post examina
Mundi et laborum.

2. Copulat aeterno
se martyr foedere Christo,
Et cupit ex isto
regi servire superno.

3. Laus Deo mirabili,
Qui caelum pictura
Pinxerat spectabili
Stellarum cultura.

4. Clausit viam sceleri
Omni maledicto,
Non dabatur martyri
Thorus in delicto.

5. Sensit hic deicola,
Caro dum excessit,
Carnis, mundi subdola
Fomenta repressit.

Ad Magnificat.

A. Martyr stellifera
sublimis regnat in arce,
Spernens mortifera,
dum coepit vivere parce,
Eius erat fortis
animosae gloria mortis.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christophoro varias
modulemur carmine laudes
Et maneat nostro
semper memorabilis aevo.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Suis in temporibus
Christophori vita
Mirandis virtutibus
Fuit insignita.

2. Certanti ligitime
Corona debetur,
Ergo martyr intime
In caelo gratuletur.

3. Servavit munditiam
Corporis et mentis,
Plantavit ecclesiam
Suis in tormentis.

Responsoria.

1. Martyr Christopherus
Bonus et fidelis,
Mitis, fructiferus
Suis in loquelis
Linguaque melliferus
Gaudet nunc in caelis;
V. Vixit paciferus
hic felix absque querelis.

2. Bonis spiritalibus
Qui vult abundare,
Discat et virtutibus
Se ipum ornare
Sanctis et operibus
Actus reformare,
V. Christophorus paribus
studuit meritis radiare.

3. Christophorus ceperat
Dum statum paupertatis,
Christus eum nutriat
Copiose satis,
Qui [ut] non deficiat
Viris timoratis,
V. Solem dimidiat
perversis atque beatis.

In 2. Nocturnis.

Antiphonae.

1. Christophori mira
prece nobis iudicis ira
Effera mansuescit,
et perdita gratia crescit.

2. Festina nobis,
martyr, succurrere lapsis,
Propitius lacrimis
effusis flectere nostris.
3. Sedibus optatis
iam martyr regnat in astris,
Non spem dat castris
horrenda faece locatis.

Responsoria.

1. Christophorus meruit
Christum portare per undas
Et sic deseruit
mundi res ipse iucundas,
V. Servivit Christo
post haec et vixit in isto.
2. Martyris indigne
lacerarunt viscera palmae,
Ante tuum, Christe,
conspectum corruit iste,
V. Eripitur magni
quando caput ense tyranni.
3. Munera grata Dei
concessa tuae faciei,
Nunc miseris pande
nobis, martyr venerande,
V. Sic te patronum
dicimus esse bonum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dum Christum coluit,
vitae memor est perituae,
Mortem non timuit,
nec vita fuit sibi curae.
2. Sagittarum furia
Statim reflectetur.
Et patens iniuria
Recte punietur.
3. Mortis in articulo
Caelos penetravit
Martyr, qui naufragio
Carnis non erravit.

Responsoria.

1. Caelum suspiciens
de corpore spiritus exit,
Quem pie suscipiens
Christus super astra revexit,
V. Praemia iustorum
modo percipit hic meritorum.
2. Vivida Christophori
radiat sub pectore virtus,
Dum dedit ingrato
gladio venerabile collum,
V. Congrua mors vitae
non fuit illa suae.
3. Angeli sollemniter
Non cessant clamare
Unum peraequaliter
Trinum et laudare
Certant et feliciter
Sanctus triplicare;
V. Christophorus pariter
assuescit eis resonare.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Aegros mundavit
generosi sanguinis unda,
Et quos salvavit,
sunt horum corpora munda.
2. Mundi abs nequitia
Castum cor servavit,
Totum in munditia
Corpus decoravit.
3. Pretiosa sidera,
Martyr, adamasti,
Foeda carnis scelera
Quando superasti.
4. Est personalis
quamvis distinctio talis,
Ecce, tamen prona
reddetur laus tribus una.
5. Sua martyr saecula
Digne consummavit

Cordis pudicitia,
Facto quod monstravit.

Ad Benedictus.

A. Corpore grandis erat,
venerandi fronte pudoris,
Pro Christo modicus
contempsit culmen honoris,
Nunc in caelorum
gaudet et ipse choris.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Christus, rex altissimus,
Firma spes bonorum,
Consolator optimus
Et sanctus sanctorum,
Qui cum Christophoro
dat nobis regna polorum,
Est ubi cunctorum
requies veneranda laborum.

Brev. Aarhusiense imp. Aarhusiae 1519. A. — Brev. Lundense imp. Parisiis 1517. B. — In 1. Vesp. Super Ps. **AA** fehlen B. — In 1. Noct. **R** 3, 5 fehlt eine Silbe AB. — In 3. Noct. **A** 1, 1 Cum Christum B. — In Laud. **A** 2, 1 Mundum A. — A hat hiezu die Hymnen: Martyr invictus (Vesp. et Laud. Anal. XXIII, 154) und: Haec dies iusto (Noct. Anal. XXIII, 155).

72. De sancto Christophoro.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Nova Christophorus mente
Magno cupiens servire,
Mundiali spreta gente
Ad maiora quaerens ire,
Illustratus est repente
Christum reges anteire.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Patrem nos Christophorum
Merito laudemus,
Inde Dei filium,
Venite, adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Meditando legem Christi
Vir Christophorus beatus,
Invenire datur isti,
Quo docetur informatus.

2. Super Sion sanctum montem
Verbo, vita praedicavit,
Supernorum bibens fontem
Signis crebris coruscavit.

3. Deo semper susceptori
Se dedit ex intimis,
Cui Christus vita, mori
Lucrum in altissimis.

4. Mirificatur hodie
Sanctus hic beatus,
Haerens Deo gloriae
Caelo sublimatus.

5. Postquam coram Domino
Viam hic direxit,
Obsequendo parvulo
Flumine transvexit.

6. Honor atque gloria
Merito cantantur,
Digna cuius merita
Sancti comprobantur.

Responsoria.

1. Gaudiosa
praesens sollemnitas,
Recensetur
qua vitae sanctitas,
Patris [huius]
refertur dignitas,
Nobis donet
vitae delicias;

V. Servi regis
aeterni sedulum

Collaudemus
sanctum Christophorum.

2. Dum fluente
transportat iugiter,
Inter flumen
transit viriliter.
Evocatur
quam mirabiliter:

V. Surge, veni,
vocat te Dominus,
Factus puer
rex magnus parvulus.

3. Assecutus
linguarum genera,
Exhortatur
in vitae foedera,
Christi servos
firmat ad vulnera,
Profert cunctis
beata munera;

V. Quos tortoris
manus dilacerat,
Sanctus iste
confortans roborat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Confisus in robore
Domini virtutum,
Summa sumit scandere
Carpens iter tutum.

2. Habitat in coetibus
Glorificatorum,
Quiescit in montibus
Civium sanctorum

3. In virtute iubilat,
Exsultat vehementer,
Quidquid desiderat
Tenens excellenter.

4. Praevenit Christophorum
Gratia superna
Et extendit meritum
Caritas interna.

5. Victor vincit inimicum
Totus Deo deditus,
Mundum spernit impudicum,
Christum fert Christophorus.

6. O miranda merita
Nominis beati,
Quae dant cordis intima
Summae maiestati.

Responsoria.

1. Ad tribunal cum citatur
Ducenteno milite,
Orans terret, duplicatur
Miles frustratorie,
Omnes orant, sed ligatur
Ipse voluntarie;

V. Cadit rex incredulus,
Stupet omnis populus
Sancti visa facie.

2. Formosarum puellarum
In agone positus,
Ut intraret fraus earum
Mente ligans nexibus,
Fundit preces, virtus quarum
Has convertit citius;

V. Sic proclamant: Intuere.
Serve Dei, miserere
Nostri pie, quaesumus.

3. Dira sanctum virga caedit,
Cassis premit ignea,
Nulli poena victus cedit,
Vincit virtus omnia,
Caelos petit, cum discedit
Caelo mutans terrea;

V. Felix transmutatio,
Vilis deperditio,
Decoratur laurea.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Christophorus hodie
Dum caelum conscendit,
Congaudere patriae
Viantes accendit.

Responsoria.

1. O beatum
certamen fidei,

Quo vir tantus
meretur provehi!
In triumpho
sancti Christophori
Miretur saeculum;

V. Ignes, vincla,
sagittas, gladium
Nullum pavet
[sanctus] supplicium.

2. Sanguis iusti
non iuste funditur,
Dum pro Christo
sanctus occiditur,
Mortem perdit,
vivit, dum moritur,
Transfertur gloriae;

V. Transit martyr
de poenis hodie
Ad supremae
loca laetitiae.

3. Vitae decus,
virtutis speculum,
Mundum iubar,
morum spectaculum,
Per tua merita
reatus criminum
Purga, Christophere,

V. Ne poena nostro
premat ex opere,
Tuae virtutis
[ad]iuva munere.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Decorem hunc induit,
Sedes praeparatur,
Deus, per quem pertulit,
Sanctum muneratur.

2. In conspectu Domini
Caelos introivit,
Sic coniunctus numini
Gustat, quod sitivit.

3. Luce vigil protinus
Filius hic lucis,
Fruitur amplexibus
Miles summi ducis.

4. Benedicat Domino
Cuncta creatura,
Sanctus absque termino
Caeli tenet iura.

5. Christum laudat populus
In sanctis de caelis,
Cuius est Christophorus
Testis tam fidelis.

Ad Benedictus.

A. Martyr alme Christophore,
Verbo, vita sanctissime,
Tu claritate praedite,
Tu victor invictissime,
In huius vitae tramite
Deducas nos, piissime.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Condigna merita
sancti Christophori
Nobis per devia
praesentis saeculi
Repellant noxia
carnis et animi,
Ducant ad gaudia
futuri praemii.

Brev. ms. Vallis Umbrosae saec. 15. Cod. Laurentian. Conv. sup. 457. — In 1. Vesp. Super Ps. fünf prosaische **AA**. — In 1. Noct. **A** 4, 1 Mirificatur homine. — **A** 5, 3 Obsequuntur. — **R** 1, 5 fehlen zwei Silben. — Ibid. 9 Servuli. — **R** 3, 5 servulos. — In 2. Noct. **A**, 2 1 Habitabit. — **A** 3, 3 fehlt eine Silbe; lies Quidquid hic desiderat oder Quodcunque desiderat? — **R** 1, 4 Milites. — **R** 2, 3 Ut intrare fraus irarum. — **R** 3, 9 Decollatur. — In 3. Noct. **R** 1, 11 fehlen zwei Silben. — In jeder der drei Nocturnen ist das 4. Resp. prosaisch. — In Laud. **A** 3, 1 Lucem. — **A** 4, 4 tenent. — In 2. Vesp. Super Ps. fünf prosaische **AA**. — Hiezu die Hymnen: Anal. XXII, Nr. 116–118.

73. De ss. Chrysanto et Daria.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Chrysantus,
Illustris viri filius,
Artibus liberalibus
Plene fuit eruditus.
2. Ardentis ingenii
Et tenacis memoriae,
Quod cito didicit,
Diu tenuit.
3. In credendis vir Dei instruitur
Et post septem dies
A suscepto baptismate
Praedicator constituitur.
4. Doctus a Domino
Docet alios,
Et quod hausit feliciter,
Effudit fideliter.
5. Istis proficit
Virtutum passibus,
Quam patris et filii
Inflammat spiritus.

Ad Magnificat.

A. Chrysante et Daria,
Deo pro nobis
Fundite precamina,
Deo frui meruistis
Christum imitando,
Deum nobis placate
Nos adiuvando.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laudemus regem martyrum,
Cuius aspirante gratia
Per Chrysantum
Conversa est Daria.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tenebroso in loco
Filius a patre clauditur,
Artatus cibo modico
Ignescit ardore caelico.
2. Duris succedunt mollia,
Ut, qui viriliter
Restitit tormentis,
Enerviter
Succumbat blandimentis.
3. Intrant puellae,
Ut iuvenem decipiant,
Ingressas ligat sopor,
Ne, quod volunt, efficiant.

Responsoria.

1. In Chrysanto et Daria,
Vasis praedestinatis,
Aestum exstinguit carnis
Ardor caritatis.
V. *A Domino factum est istud et est mirabile in oculis nostris.*
2. Chrysanti et Dariae
Dulcescit memoria,
Quorum mentes pietate
Condivit divina misericordia,
V. Transcendunt fines meritorum,
Quae in patria servantur
Praemia sanctorum.
3. Casta conversatio
Iuvenis cum virgine
Non naturae opus est,
Sed divinae gratiae;
V. Iuveni virgo sociatur,
Et flos virgineus
Non periclitatur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mira Dei potentia
Foris somnus amovetur,
Manet intus,
Ne vir Dei inquinetur.
2. Virgo Daria
Auro et gemmis radians
Ad iuvenem ingreditur,

Sed victa feliciter
Per iuvenem convertitur.

3. Ambos inflammat
Ardor caritatis,
In ambobus permanet
Decor castitatis.

Responsoria.

1. Felix societas
Caste se amantium,
In quibus castitatis lilio
Accessit martyrium.
V. Tua sunt haec, Christe, opera,
Qui vere mirabilis
Es in sanctis tuis.

2. Sudant in agone
Gloriosi martyres,
Et ut magis rutilet martyrium,
Ambo manent virgines;
V. Chrysantus et Daria
Patientis passi
Sequuntur vestigia.

3. Pede utroque
Christum sequuntur,
Qui caste vivendo fructum
Centesimum censentur;
V. Integritatis et martyrii
Gloriosa insignia
Nostrorum martyrum
Efferunt praeconia.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ad fidem veniunt
Per Chrysantum iuvenes,
Per Dariam feminae
Innumerabiles.

2. Miles Christi
Crudis nervis stringitur,
Hi rumpuntur
Sed his non laeditur.

3. Aqua putens,
Qua vir Dei perfunditur,
In odorem
Nectareum convertitur.

Responsoria.

1. Praedixit per Isaiam Dominus:
Habitabit iuvenis cum virgine,
Nostris in martyribus
Elucet veritas huius prophetiae;
V. Sicut Ioseph sancte
Et caste cum Maria,
Sic habitavit
Chrysantus cum Daria.

2. O veneranda dexterae
Excelsi mutatio,
Qua datur, ut sic incitatrix
Idolatriae
Propinatrix
Efficitur spiritualis gratiae.
V. Collato Dariae divinitus
Irriguo, quod est inferius,
Accessit et superius.

3. Haec est vera glorifica
Misericordiae
Christi potentia,
Quae sic nequitiae
Antiqui hostis obviat,
Ut aliquando Leviathan,
Quos iam cepit, amittat;
V. Per Chrysantum et Dariam
Ostenditur mirifice
Armilla divinae potentiae.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. In luteam custodiam
Chrysantus vinctus mittitur,
In meretricum contubernio
Daria publice ponitur.

2. Lux et odoramenta
Praestantur iuveni,
In robur protectionis
Leo mittitur virgini.

3. Laborabat multitudo
Leonem capere,
Sed capta a leone
Ponitur ad pedes Dariae.

4. Vinctus Chrysantus
In eculeo suspenditur,
Sed ruptis vinculis
Tormento non laeditur,
5. Qui ad Dariam
Extulerunt manus,
Prae dolore gemebant
Nervis stupentibus.

Ad Benedictus.

A. Post multa tormentorum genera
Terra et lapidibus
Sancti obruuntur,
Et qui sancte convixerant,
Feliciter consepeliuntur.

Brev. ms. Monasteriense saec. 15. Cod. Monasterien. 201 (204). A. — Brev. ms. Monasteriense saec. 15. Cod. Darmstadien. 950. B. — Brev. Monasteriense imp. s. l. 1489. C. — Antiph. Monasteriense imp. s. l. et a. D. — In 1. Vesp. **A** 1, 2 Illustri A. — In 1. Noct. **R** 2, 4 Adiuvit divina. — In 2. Noct. **A** 1, 3 Intus manet B. — **R** 1, 4 Successit B. — In 3. Noct. **A** 3, 1 puteus C. — **A** 3, 2 Qua fehlt A. — **R** 2, 3 Quae datur B.

74. In Translatione s. Clarae.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Clara, luce clarior
Ac sole serenior,
Virtute sublimior.
2. Laude nostra dignior,
Favo mellis dulcior
Et sponso intimior.
3. Adest dies gaudii,
Pharao imperii
Victus cedit impii.
4. Ramus olivae medii
In arca cordis proelii
Aufert causam et taedii.
5. Ave, virgo praeferens
Liam operantem
Nec Rachelem deserens
Deum contemplantem.

Ad Magnificat.

A. Iam vides Deum oculis,
Iam ore fruens poculis
Dulcedinis divinae,
Iam auribus angelica
Melodis audis cantica,
Laetaris sine fine,
Dilectum tenens manibus
Post illum curris pedibus,
Ab ipso amplexaris;
Consortes redde gaudii
Nos Christique convivii,
Quo mater tu ditaris.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iesum, Clarae virginis
Sponsum, voce carminis,
Venite, adoremus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tu paradisus voluptatis,
Quam rigat fons divinitatis.
2. Lignum vitae te cibavit
Ac in bono confortavit,
Post hanc vitam coronavit.
3. Clara sancta, deprecare
Pro nobis, nec dicas quare.

Responsoria.

1. Mundo splendor oritur,
Dum haec virgo nascitur,
Christo chordis iungitur,
Gratia illabitur,
Ad bonum inflectitur,
Vanum omne tollitur,
Solum Iesum sequitur;

V. Odor virtutum spargitur,
Mundus sentit, adtrahitur.

2. Clara, Francisci filia,
Agnem sororem praevia,
Vicit parentum taedia,
Hanc trahens ad caelestia,
Declinans mundi devia,
Petens aeterna praemia.

V. Candensve velut lilium
Formosa,
Oculis omnium
Rubens rosa.

3. Virgo pia, Clara,
Mente consternata
Hostium formidine,
Iuncta sponso Iesu
Christo, lacrimata,
Precum fortitudine

V. Digna Iesu vocis
consolamine
Robur sentit mira
cum dulcedine.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Tu, signifera,
Sanas vulnera
Signo vitae
Dato a te.

2. Voce puella caruit,
Signo dato rehabuit.

3. Valentinus morbo cadit,
Ad sepulcrum Clarae vadit,
Nocte trina iacuit,
Die terna valuit.

Responsoria.

1. Humilitatis praebuit
Exemplum secuturis,
Dum ministrare studuit
Infirmis magnis curis
Ac pedes servientium
Manibus lavat puris;

V. Obsequio se subdidit
Et cunctis se exercuit
Laborum in pressuris.

2. Holofernem Iudith stravit,
Hostis caput asportavit,
Israelem iucundavit,
Hymnum Deo decantavit;
Hesther pro Vasti regnavit,
Quam Assuerus coronavit
Ac prae cunctis adamavit;

V. Quidvis, ait, iube, datur,
Genti suae mox precatur
Pacem, fiat, rex effatur.

3. In paupertatis copia
Quaerit gloriari,
Huius mundi inopia
Desiderat ditari,
Nudi Christi consocia
Vult illi conformari;

V. Pro paupertatis gloria
Paupertatis foedera
Petens intitulari.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. O adulescentula,
Mardochaei plantula,
Digna regis chartula.

2. Sunamitis speciosa.
Regem fove operosa,
Nobis esto gratiosa.

3. Sentis regem indignantem,
Placa iram, fac donantem.

Responsoria.

1. O paupertas liberalis,
Quae pro Deo toleraris!
Eruis a famae malis,
Nomen laudis induaris,
Vere dives praedicaris,
Mox abundat; quid miraris?

V. Dum oleum deesse fatur,
Pia mater Clara orat,
Restauratur.

2. Per Aegyptum Nilus vadit,
Claram in desertum tradit,
Igne, nube tegitur,
Caeli manna fruitur,

Verus Iosue deducit,
In promissam terram ducit;
V. Terram lac et mel manantem
Habes, audi te precantem.
3. Clara, multarum praevia,
De tenebris ad lucem
Per huius [mundi] devia
Trahens ad Christi crucem,
Virginum collegia
Sequuntur quarum ducem,
V. Vita vivens angelica
Inter sororum agmina
Monstrans virtutum lucem.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Veni in hortum meum,
Dulcis filia,
Tuum agnoscens Deum
Carpe lilia.
2. Ascendisti ac fecisti
Cor paratum tibi datum,
Te dilectum audio,
Sine mora venio.
3. Uno pane copia
Pascit Christi filia
Multos bina prandia.
4. Paupertatis praediis
Dives privilegiis,
Laeta fit inediis.
5. Laudat Deum omnium,
Dum praestat solatium,
Ostendens praesaepium.

Ad Benedictus.

A. O fervens desiderio,
Praeclaro clara studio,
Quem legis sponsum lectulo,
Christum crucis in pendulo
Quaerens tenuisti,
Francisci felix aemula,
Salomon mirifica,
Manum mittens ad fortia
Procul de summis praemia
Quae promeruisti,
Nostrorum apud Dominum
Posce veniam criminum,
Quae surdis vices auium,
Caecis acumen luminum
Mundo reddidisti.

Alia Antiphona.

Ave, virgo felix Clara,
Mater pia, mater cara
Dominarum pauperum,
Sinu pio tu nos fove,
Cuncta mala tu amove,
Placa datorem munerum;
Quod mater nostra sis, ostende,
Ab omni malo nos defende,
Confer perenne gaudium.

Alia Antiphona.

O virgo mirabilis
Insignis et prodigiis,
Languores daemoniacis
Plurimis mederis,
Das gressum fractis tibiis,
Curam epilepticis
Precibus sinceris;
O vita laudabilis,
Quae fidem sic magnificas,
Sed et multos vivificas
Mortuos defuncta,
Praeclara nos caelestium
Fac consortes civium,
Quibus es coniuncta.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O Clara,
Multarum mater gentium,
Exaudi preces flentium,
Adflictos consolare,
Allatrix sis laetitiae,
Per viamque tristitiae
Nobiscum comitare
Et fac nos semper tecum
Gratulare.

Alia Antiphona.

O decus et gaudium,
O virginale lilium,
Tu iubar ecclesiae,
Gemma claritatis,
Floridum fers virginibus
Speculum prudentibus
Specialis sanctitatis,
Vitae signis radians
In te piae dilectionis
Requievit spiritus,
Dulcis, pia mater,
Clara nobilis,
Iunge nos beatis.

Antiph. ms. Franciscanum saec. 15. Clm. Monacen. 23291. — In 3. Noct. R 2, 6 terram ducit eos. — R 3, 3 fehlen zwei Silben. — Ad Bened. A, 10 Quae fehlt.

75. De sancto Claudio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude, Sion, ornata tympano,
Decor tuus coniunctus galbano,
Lauda illum chordis et organo,
Sponsa cuius venit de Libano.

2. Gaude, sedes Bisuntina,
Iure frequentans gaudia,
In te fuit episcopus
Claudius, vir sanctissimus.

3. Hic est ille praesul verus,
Cuius corde plebs et clerus
Debet festum celebrare
Et iuvamen implorare.

4. Gloriose praesul Christi,
O Claudi sanctissime,
Duc nos tecum, quo ivisti
Post Christum, piissime
Intercessor, ne labamur,
A te semper protegamur.

5. O Claudi, praesul Christi,
Tua prece fac nos sisti
Summi regis ante thronum,
Ex quo prodit omne bonum.

R. Vallem mundi tam profundi
Munda transit orbita
Pes Claudii, ne confundi
Possit virtus inclita,
Nil immundi cordis mundi
Reperitur semita.

V. Cum olivae ramo redit
Ad arcam in vespere,
Non invenit, unde venit,
Quo possit quiescere.

Ad Magnificat.

A. Magnificat
anima Dominum,
Quam sigillo
signavit luminum,
Quam propriam
cruore proprio
Sibi fecit
crucis ludibrio,
Quam viventem
ornavit gloria,
Quae post mortem
vivit in patria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus regem regum
Implorantes gratiam,
Qui transvexit supra mundum
Claudium in gloriam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir impiis
se non sociavit,
Quem, quia cum stantibus
stare recusavit,

Pestis pestilentiae
non incathedravit.

2. Quare fremunt
hostes in ostium,
A quo pendent
tot arma fortium,
Quod non timet
impulsus hostium.

3. Exaudi nos, Domine,
protector eorum,
Qui te colunt, praedicant,
cor et corpus quorum
Confitentur opere
te Deum deorum.

Responsoria.

1. Primus iaspis lapidum
in Claudii fabrica
Fabricae subponitur,
ut fides catholica
Per augmentum operis
regna tangat caelica;
V. Designatur
fides in iaspide,
Prior omni
ponendus lapide.

2. Secundus in fabrica
saphyrus erigitur,
Coloris aerei,
per quem spes innuitur,
Per quam a terrigeno
caelum adipiscitur,
V. Claudii spes elevatur
Ad habendum, quod speratur.

3. Opus sancti fabricatum
consummat carbunculus,
Qui est virtus caritatis,
qua sic Christi famulus
Ardens lucet, quod hanc lucem
omnis stupet oculus;
V. In ardore caritatis
Ut iubar aethereum
Pluit verbum veritatis
Populo vas aureum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Cum invocat, exauditur
Claudius a Domino,
Cuius voces exaudire
non differt in crastino,
Qui fideli Deo fidem
servat sine termino.

2. Verba supplicantium
auribus percipias,
Qui linguas infantium
ad laudandum expias,
Ora te laudantium
ad laudes aperias.

3. Domine rex,
quam admirabilis,
Cuncta moves
manens immobilis,
In nos labens
in te non labilis.

Responsoria.

1. In tribus catholicis
virtus circulatur,
Quattuor politicis
circulus quadratur,
Ut a septenario
nunquam moveatur,
V. Sic septem virtutibus
Claudius ornatur,
Sic ornatus spiritu
septeno firmatur.

2. Latere non poterat
Virtutum lucerna,
Quae succensa fuerat
A luce superna,
Clamat gestus hominis,
Quod sub ala numinis
Lateant interna;
V. Ne cum Dina corrumpantur
Sichimorum macula,
Sensus omnes castigantur
Disciplinae ferula.

3. Cor Claudii purpuratur,
Dum cruoris memoratur
Christi morientis,

Candet byssus castitatis,
Rubet coccus caritatis
Aaron vestimentis;
V. Iacynthus intexitur
tamquam verus testis,
Quod Claudius civis sit
patriae caelestis.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Domine, qui in tuo
vivunt tabernaculo,
Eis es in requie,
eis in umbraculo,
Tu eos inebrias
voluptatis poculo.
2. Domine, in virtute
tua vir laetatur,
Qui, dum adhuc viveret,
in te laetabatur,
Cui mundi laetitia
nihil videbatur.
3. Domini sunt omnia
caelum, terra, mare,
Qui cuncta de nihilo
potuit creare,
Qui dissona consonis
voluit ligare.

Responsoria.

1. Plebis pondus sustinet
super humerali,
Iuste iudex iudicat
vi rationali,
Talum tangit poderis
opere finali;
V. Ornant frontem lamina
signum puritatis,
Sonant tintinabula
verbum veritatis.
2. Non est nostrae paupertatis
Nec humanae facultatis
Referre miracula,
Quibus virtus deitatis,
Testis sancti sanctitatis,
Illustravit saecula;
V. Mors et morbus admirantur,
Quod sic signa dominantur.
3. Ad te, locum gratiarum,
Gratae mentis non ignarum,
Iesu bone, lacrimarum
Revertuntur flumina,
Quibus tibi supplicamus,
Ut viventes sic vivamus,
Quod post vitam teneamus
Tecum caeli culmina;
V. Tu Claudii precibus
A tuorum mentibus
Sua tergas crimina.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Christi iugum
Claudius teneris
Adulescens
portavit humeris,
Virtutibus
se iungens superis,
Minorat se
tamen prae ceteris.
2. A convalle lacrimarum
ad caeli fastigium
Ponit gradus, gratiarum
implorans auxilium,
Huius vitae ne viarum
declinet in invium.
3. Iste pastor
dignus memoria,
Virga cuius
fugatur bestia,
Vita cuius
occidit vitia,
Finis cuius
finit in gloria.
4. Quanti sanctus sit nominis,
Mortui testantur,
Qui utriusque hominis
Morte tenebantur,
Nam Claudii meritis
Multi suscitantur.

5. Ad laudandum caeli regem
Cohortemur nostrum gregem,
Clament cordis gemitus,
Te bonorum creatorem,
Te donorum largitorem
Laudet omnis spiritus.

Ad Benedictus.

A. Benedictus oriens
Dator verae lucis,
Qui pro nobis moriens
Cruciatu crucis
Caecis lumen attulit,
Baculum caducis.
O rex regni gloriae,
Qui Claudium hodie
Ad regnum reducis,
Fac nos eius precibus
Tam votis, quam vocibus
Sic tibi placere,
Ut datum pauperibus
Regnum in caelestibus
Possimus habere.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Suum suscepit puerum
Memor misericordiae
Pater post verba verberum.
Sicut ad patres patriae
Praedixerat, sic hodie
Transfert ad thronum gloriae
Suorum patrem pauperum.
Quem sicut venam veniae
Rogamus, ut in posterum
Simus ei memoriae.

Brev. ms. S. Nicolai Divionen. saec. 15. Cod. Parisin. Nouv. acq. 402. A. — Cod. Parisin. 915. saec. 15. [„Iste liber est confratriae beatissimi Claudii Bisuntinensis archiepiscopi, Parisius in ecclesia sancti Iacobi de Hospitali fundatae seu ordinatae.“] B. — Brev. ms. S. Adeodati saec. 16. Clm. Monacen. 10909. C. — Brev. ms. Lugdunense saec. 14. Cod. Gratianopolitan. 135. D. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bisuntin. 69. E. — Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Bibl. Archiep. Remen. s. n. F. — Brev. Audomarense imp. Parisiis 1518. G. — Brev. S. Bernardi in Romanis imp. in Romanis 1518. H. — Brev. Ambianense imp. Parisiis 1530. I. — Brev. Gebennense imp. Gebennae 1487. K. — Brev. Gebennense imp. Lugduni 1525. L.

In 1. Vesp. Super Ps. nur eine **A**, die erste C; B hat folgende **AA**:

1. Gaude Sion ornata tympano etc.

2. Caeci vident, currunt claudi,
et valent paralytici,
Daemon cedit, salus redit,
surgunt epilentici,
Salvat sanos, aegros sanant
summi manus medici.

3. Qui prece, qui merito
Tot auxiliaris,
Caritatis debito
Nobis tenearis,
Ut nos more solito
Tuos tuearis.

4. Hic est ille praesul verus etc.; 5. O Claudi, praesul Christi etc. — D beginnt mit der **A** ad Magn. — **R** Cor Claudii purpuratur etc. B; dann folgt in derselben Quelle auf das Schema Sospitati dedit aegros:

Prosa.

Chorus hymnum plaudat Christo Claudii sollemnio,
Cuius virga profugatur somnifera bellua,
Vita cuius exstirpantur foeda mundi scelera,
Cuius finis in aeterna coronatur gloria,
Quam sigillo praesignavit summus pater luminum,
Quam propriam orbi natus et cruore proprio
Agnus sibi fecit crucis crudeli ludibrio.

Ergo, pastor o benigne, plebi prece subveni,
Ut vivamus vita functi cum beatis civibus,
Det felices nos futuros Christus, qui gaudebimus
Super pacem tuam.

Ad Magn. **A**, 2 anima mea C. — Ibid. 9 Quam virtutis C. — KL beginnen das Officium mit der **A** ad Magn.: Gaude, sedes Bisuntina etc.

Beide Hss. haben nur eine Nocturn, deren **AA** de communi unius confessoris, deren **RR** die der dritten Nocturn sind. — In 1. Noct. **A** 3 fehlt D; Cum invocat exauditur etc. A; Gloriose praesul Christi tu Claudi sanctissime etc. B. — **R** 3, 5 corpore C. — **R** 2, 3 Coloris activi C. — **R** 2, 5 terrigenis C. — **R** 2, 8 optatur C. — **R** 3 In tribus catholicis etc. C. — In 2. Noct. **A** 1 Exaudi nos Domine etc. A. — **A** 2, 1 Verbum C. — **R** 1 Opus sancti fabricatum etc. C. Latere non potuit etc. B. — **R** 2 Sublimatus in pastorem etc. B. — **R** 2, 1 potuit C. — **R** 2, 7 lateant aeterna A. — **R** 2, 9 Synchomorum A, Sichomorum machina C. — **R** 2, 11 facula BC. — **R** 3 lautet in C:

R. Sub nodis cilicii
Corpus expers vitii
Domat vir beatus,
Viget in vigiliis,
Pinguescit ieiuniis
Iugis cruciatus,
V. Se sui carnificem
Ante summum iudicem
Offert maceratus.

R 3, 2 Dum cruor A. — **R** 3, 5 Rubet totius caritatis D. — **R** 3, 6 fehlt D. — R 3, 8 Tamquam vetus vestis A. — In 3. Noct. **A** 1, 3 Die es in C. — **A** 1, 4 Die in umbraculo C. — **A** 1, 5 Tu fehlt C. — **A** 2, 2 laetabatur vir C. — **R** 1 Ad te locum gratiarum etc. B; in C:

R. Sublimatus in pastorem
Urbis Bisuntinae,
Onus gerens, non honorem,
Ut Cherubim gloriae
Plus ignescit in saporem
Gustus sapientiae;
V. Maior factus ex minore
Minor manet in maiore.

R 2, 5 sancti fehlt C. — **R** 3 Plebis pondus sustinet etc. B; Cor Claudii purpuratur etc. D. — In Laud. **A** 3, 7 Vita cuius C. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** O desolatorum consolator etc. prosaisch. B. — In Complet. Ad Nunc dimittis **A** in C:

O Claudi, praesul Christi,
Tua prece fac nos sisti
Summi regis ante thronum,
Ex quo prodit omne bonum,

welche **A** in KL ad Magn. steht.

Zu diesem Officium gehören nach B die Hymnen: In 1. Vesp.: Iam Christus dator munerum (Anal. IV, 121); ad Noct.: Christum laudemus dominantem astris (Anal. XI, 98); ad Laud.: Iesu largitor veniae (Anal. XI, 99); in 2. Vesp.: Impleta sancto spiritu, Divisio von: Iam Christus dator munerum (Anal. IV, 121). Mit diesem Officium ist das gleichen Anfangs auf Edmund zu vergleichen, dem Vorstehendes mit Ausnahme der **AA** 2, 3 u. 4 in 1. Vesp. vollständig entlehnt ist. Vgl. u. a. in 1. Vesp. **R**, 3.

76. De sancto Constantio.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Martyr Constanti,
populo te concelebranti
Praesenti festo
suffragator pius esto,
Christum placando
nobis veniamque rogando,
Ut, quam speramus,
post hanc vitam capiamus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Ut collaetemur
sanctis, laudes modulemur
Auctori vitae
psalmum cantando, venite.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Actu subtili
Constantius a puerili
Flore Deo gratus
dignoscitur esse beatus.
2. Indolis iste bonae
munda sub religione,
Mansuetus crevit
et carnis ludicra sprevit.
3. Praesul enim factus,
divina lege coactus,
Quam bene delegit,
sibi noxia cautus abegit.

Responsoria.

1. *Egregii martyris Constantii transitum recolentes tuam, Domine, laudamus potentiam,*
V. Caelos implentem
pelagus terramque regentem.
2. *Sacris hic itaque scripturis intentus, utiliter ipsas tenaci commendabat memoriae,*
V. Quae fecere viam
sibi firmius ad theoriam.
3. *Agonista Dei Constantius voluptuosis repugnavit affectibus crucemque suam tollens Dominum est secutus,*
V. Postposito patre
cum fratre sororeque matre.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Illicitos motus
frangendo per omnia totus
Christo servire
studuit mundoque perire.
2. Hunc Deus orantem
votivaque munia dantem
Latius audivit
merito, nam iusta petivit.
3. Se penitus, Christe,
sanctus tibi subdidit iste,
Regna petens lucis,
quo dilectos tibi ducis.

Responsoria.

1. *Iste sanctus, vitae merito laudabilis, orans, quod credidit, in vinea Domini cultor fidelis exstitit,*
V. Uvam conservans,
igni fruticem coacervans.
2. *Carnales in se luxus reprimendo lumbos praecinxit et manibus suis lucernas ardentes tenuit,*
V. Respergens late
plures morum probitate.
3. *Beatus Constantius, dum gereret officium mandritae sollicitus, corda plurimorum imbuit sacramentis fidei,*
V. Nempe revertenti
Domino dans lucra talenti.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dogmata pravorum
detestans facta bonorum
Traxit in exemplum,
Domino cupiens fore templum.
2. Ambiguae sortis
victor miles quasi fortis,
Qui maculam nescit,
in monte Sion requiescit.
3. Ornatu magno
fulget comes additus agno,
Crimina qui lavit
orbi mortemque fugavit.

Responsoria.

1. *De praesulatus dignitate collata caelitus vero sacerdoti obligatior, humilem se ministrum exhibuit,*
V. Grande sciens donum
summamque timens rationum.
2. *Legitimum electus Deo certamen exsecutus lota in agni sanguine stola sua palmam obtinet perennis gloriae,*
V. Astans divinae
maiestati sine fine.
3. *Gloriosus Dei athleta Constantius, fervens amore sancti spiritus, minas et terrores iudicum non timuit saeculare,*
V. Arripiens scutum
fidei tegimen sibi tutum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Curia caelestis,
sollemnibus inclita festis,
Balsamico more
praedulci fraglat odore.
2. Intermixta rosis
rubet et gemmis pretiosis
Candens in gyro
collucet lumine miro.
3. Nactus, Constanti,
splendoris gaudia tanti
Securus degis,
Christi sacer accola regis.
4. Hoc est insigne
tibi, sanctorum quia digne
Ad sua te coetus
misit consortia laetus.
5. Eia, coronatus
in caelis perpetuatus,
Ipsum collaudes,
cui te convivere gaudes.

Ad Benedictus.

A. Nocturnis horis
concentu cordis et oris
Plebs tibi devota,
quae debet, agens pia vota,
Martyris huius, passio cuius
sancta notatur,
Da prece prospera, pelle sed aspera,
Christe, precatur.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Mente colens pura
Dominum risit ruitura,
Felix conflictus,
cuius finis benedictus.

Ad Tertiam.

A. Quem calcare facis,
sunt, Deus, atria pacis,
Admirandus erit,
sibi qui loca talia quaerit.

Ad Sextam.

A. Palmis aequatus,
ut cedrus multiplicatus

Semper florebit
adversaque nulla timebit.

Ad Nonam.

A. Institit humori
vir sanctus, ut uberiori
Polleret quaestu,
nullo perterritus aestu.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Post maris alta rubri
Constantius arte salubri
Litore consedit,
cui quaeque molestia cedit,
Tendens vela citus
placitis ventisque potitus.

Antiph. ms. Sangallense 388. add. saec. 14. A. — Brev. ms. Sangallense 404. saec. 14. B. — Der Heilige war Patron in St. Gallen; vgl. die Bemerkung Branders bei Morel Nr. 383 in d. Note. Da das Officium indes nicht monastische Form hat, kann es so nicht für das Kloster, sondern nur für die Geistlichen des Stiftsgebietes gedient haben. Hiezu der Hymnus: Chorus hymnizans caelitum, Anal. IV, 122.

77. De sancto Constantio.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gratia larga Dei
praesentis festa diei,
Quo subplendo chorum
Constantius angelicorum
Spirituum vita
fruitur te dante cupita,
Quaesumus, intende
laudisque tibi referendae
A nobis iure
devotio sit tibi curae.

Ad Magnificat.

A. Constanti constantissime,
O martyr invictissime,
Districtum apud iudicem
Precem effunde supplicem,
Ut ultimam sententiam
Convertat ad clementiam,
Reddens nobis post obitum
Felix vitae depositum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Surgite nunc alacres
Dominoque venite, fideles,
Solvere devoti
vestra praeconia voti.

In 1. Nocturno.

Antiphona.

Beatus vir Constantius,
Divinae legis strenuus
Praedicator et sectator,
Constitutus gaudet tutus
Non formidans milia.

Responsoria.

1. Vir totius honestatis
Iam triginta tres aetatis
Annos agens Constantius,
Summae cultor trinitatis
Perusinae civitatis
Effectus est episcopus,
V. Magnus in aspectu,
clarus probitatis in actu.

2. Praesul ergo Deo digne
Conversatus ob insigne
Felicis vitae meritum
A Deo refert praemium,
V. Dignus corporei
donatus laude trophaei.

3. Cum decretis Antonini
Feritate belluini
Plebs pagana servos Christi
Usquequaque morte tristi
Afficeret attrociter,
Praeclarus Christi signifer
Constantius hilariter

Percurrens poenas corporis
Tripudiat cum ceteris,
V. Praemia nanciscens
nec pressurae reminiscens
Carnis pro laetis
partae sine fine quietis.

In 2. Nocturno.

Antiphona.

Hunc sanctum tui, Domine,
Signitum vultus lumine,
Domum tuam introductum
Degustare vitae fructum
Praestas ei per gratiam,
Honorem dans et gloriam.

Responsoria.

1. Plagis multis cruentatus
A paganis vir beatus
Non tristatur, sed exsultat
Eorundem et insultat
Flebili vesaniae,
V. Caelitus hortatus
constans fit et insuperatus.

2. Post ab ipsis Sisinnatem
Introductus civitatem,
Ob despectum cultum vanum
Vinctum illic Pontianum
Videns et Concordium,
V. Pro virtute pari
se gaudet eis sociari.

3. Inde vinctus dum Spoletum
Duceretur ferre letum,
Ipsa longe non ab urbe
Improviso motu turbae
Furentum caesus gladio
Relinquitur in trivio;
V. Ob vitae merita
fruiturus perpete vita
Tali mactatur
nece praesul et tumulatur.

In 3. Nocturno.

Antiphona.

In Domino fidens
illataque verbera ridens
Atque ferens sponte
sacro requiescere monte,
Nactus perpetuam
meruit sacer iste coronam.

Responsoria.

1. Nec est passus insepultum
Christus esse, propter cultum
Cuius erat neci datus,
Hoc disponens, ut relatus
Praesul idem ad propriam
Sepeliretur cathedram;
V. Gratia divina
concessit, ut urbs Perusina
Praesule gauderet
proprio nec patre careret.

2. Ut admovit Levianus
Ad ferendum sanctum manus
Deportans eum humeris,
Nil fere sensit ponderis,
V. Nam virtus Christi
merito fidei dedit isti,
Pondus ut hoc oneri
non esset ei sed honori.

3. Inclite Constanti,
prece concilando tonanti
Nos patrocinio
contueare pio,
Effice, quo gratus
sit noster ei famulatus,
Ut merito veniae
det reditum patriae;
V. Exsulibus miseris
interveniendo preceris
Nobis propitium
iugiter esse Deum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Levianus sancti gestans
Corpus id odorem praestans
Sensit aromaticum.

2. Quo refectus est in tantum,
Ut non onus sibi sanctum,
Sed levamen aestimet.

3. Hinc occurrentes
gemini sibi luce carentes
Forte viri tactu
sancti virtuteque visu
Corporis et fidei
subito sunt exhilarati.

4. Unde Deo grates
sanctoque Dei referentes
Uno cum dicto
gestant eum Leviano.

5. A tribus his igitur
deportatus sepelitur
Ipsius cathedram
vir sanctus apud Perusinam.

Ad Benedictus.

A. Pretiose martyr Christi,
Qui te ipsum contulisti
Vivam Deo hostiam,
Nos peccati purgans faece
Tua nobis placa prece
Divinam clementiam.
Petens indulgentiam.

In 2. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Laetentur cuncti
divino munere functi,
Choro psallentes
festumque diem recolentes,
Quo meruit caeli
Constantius arce beari.

Antiph. ms. Havelbergense saec 14. Cod. Berolinen. Fol. 319. A. — Brev. Havelbergense imp. Lipsiae 1518. B. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 1 O Constanti AB. — In 1. Noct. **R** 2, 1 Praeses ergo B. — In 3. Noct. **R** 2, 7 ut fehlt. B. — In Laud. **A** 5, 1 sq. igitur his deportatus B. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** prosaisch AB.

78. De sancto Corbiniano.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Adest beatissimi
Corbiniani diei
Electa festivitas
Gratulantes hodie
Iubilent catholici
Laetabundi
Memor nostri
Ora, pater,
Quatenus relictis
Terrenis sordibus
Uniamur Christo
Hymnologis zeumatibus
Adhaerentes ei in aeternum.

R. O sacer Corbiniane,
Doctor plebis Christianae,
Fide fulgens mentis sanae
Mundum subegisti,
Nos a malis cunctis sana
Et viarum calles plana,
Ut calcantes mundi vana
Pro amore Christi,
Ipsum tecum assequamur,
Et sequentes mereamur,
Quod promeruisti,
V. Te ducente duce bono,
Praesule, patre, patrono.

Ad Magnificat.

A. Hymnizando laetabunda
Gaudeat ecclesia,

Tam festiva, tam iucunda
Celebrans sollemnia
Corbiniani patris almi,
Cuius ad praeconia
Concrepant hinc inde psalmi,
Eius per suffragia
Emundemur a peccatis
Gavisuri cum beatis
Post haec transitoria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus Deo beatorum
Praesulum regi glorioso,
Qui aeternae gloriae
Coronam beato dedit
Pontifici Corbiniano.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Corbinianus, vir beatus,
Tamquam lignum transplantatus
Secus fluctuum fluenta
Inconvulso robore
Viva fructuum crementa
Suo dedit tempore.

2. Super montem constitutus
Praedicans praeceptum Dei,
Verbum opere secutus
In timore servit ei.

3. Susceptorem suum Deum
Voce clamans invocavit,
Et de monte sancto eum
Exauditum laureavit.

Responsoria.

1. Felix Waltegiso patre
Et Corbiniana matre
Est defuncto patre natus
Patris nomine vocatus,
Sed fausto post omine
Matris grato nomine
Dictus est Corbinianus,
Deo plenus, fide sanus;
V. Lux oritur castris
Melitonica purior astris.

2. Praeclarae puer indolis
Et mentibus almivolis
Christo securus astitit,
Sed blandimentis subdolis
Mundique pompis frivolis
Ea licturus abstitit,
V. Nam scripturarum
studet indagare sacrarum
Mystica divorum
cum psalmis eulogiorum.

3. Amator castimoniae,
Servator parsimoniae,
Ieiuniis, vigiliis,
Orationum studiis
Creber insistebat,
Declinans transitoriam
Vanamque mundi gloriam,
Vitam solitariam,
Saeculi penuriam
Prae cunctis eligebat;
V. Esuriens et sitiens iustitiam
Cordis, oris et operis
Contemperat officia,
Sic pauper Christi pauperis
Assequitur vestigia,
Quem totus sitiebat.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Mirificatum, consignatum
Vultus tui lumine
Laetificasti, satiasti,
Multiplicasti, Domine.

2. Mane astans cum beatis
Te videbit in idipsum,
Scuto bonae voluntatis
Tu coronasti ipsum.

3. Elevato super caelos
Subiecisti omnia,

Hinc aeternum cantat melos
Pro honoris gloria.

Responsoria.

1. Crescente fama viri Dei
Adventantis plebis ei
Concursus increbuit,
Quod vir sanctus horruit;
Romam igitur petebat
Adiens Gregorium,
Cui cordis exponebat,
Intus quidquid habuit,
Deposcensque clanculum
Anguli latibulum
Apud oratorium
Sancti Petri, manibus
Qua pro suis victibus
Operari cupiebat
Degens, nec obtinuit;
V. Nam in modum papa mirum
Stupens sanctitatis virum
Clam inito consilio
Invitum sacerdotio
Promovit dato pallio
Praedicare monuit,
Sic voti impos
Redibat tristis.

2. Fulminant miracula,
Signis tonant saecula,
Fur mulae reducitur,
Latro vitae redditur,
Piscem defert aquila,
Ursus iussu sternitur,
Saginam fert ut domitus,
Lumine perfunditur
Et odore caelitus,
Fons aquae conceditur,
Horam praescit obitus.
V. Zymae post novationem.
Corporis ablutionem,
Missae celebrationem
Celer caelo meritum
Digne reddit spiritum.

3. Bagatha contrahitur,
Sancto dum obloquitur,
Hic defuncti naribus
Calidus sanguis febribus
Dominicus curatur,
Labitur nec laeditur
Puer praecipitio,
Arreptus a daemonio
Fugato liberatur,
V. Cuiusdam manus arida
Sub feretro fit vigida,
Quo sanctus deportatur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex viri Dei
Enophoro
Mustum fervens
Spinam excussit,
Integer tamen
Liquor remansit.
2. Quidam latro eius mulam
surripuit
Et ex hac descendere
nequivit,
Donec sancto praesuli
sese praesentavit.
3. Triduo suspensus
Latro tanti viri
Benedictione
De supplicio
Vivus deponitur.

Responsoria.

1. Beati Corbiniani
saginarium
E vicina silva
ursus arripuit,
Quem incauto
custode prostravit
Membratimque
dilaceravit,
V. Cui sanctus saginam imposuit.
Quam Romam usque perduxit
In loco caballi.
2. Sanctus Dei plenus virtute
Cum pisce, quem administrante

Aquila divinitus exhibuit
Cunctos secum euntes refecit;
V. Ut quondam corvi
Heliam pavere ministri
Sic avis aquila cum pisce.

3. *Pontificis Romanae ecclesiae pedibus Gregorii provolutus, cui flebili voce multa narravit et qualiter huius saeculi fluctibus et honoribus esset compressus;*
V. *Narravit, quod nec muri claustri tranquillitatem praestare potuissent, et quantum divitias mundi formidaret.*

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Beatus Corbinianus
Hanc sibi sedem elegit
Et primus eandem
Episcopus administravit.

2. Crevit decus et honor viri,
Dilectus est ab omnibus
Imperii principibus.

3. Sanctus Dei famulus
Impetrato caelitus
Medicamine multorum
Debilitatos viribus
Adauxit prioribus.

4. Benedictus rerum
Omnium Dominus,
Qui nobis sanctissimum
Praedestinavit tutorem
Corbinianum.

5. Precibus intentis
Humiliter hunc imploremus,
Ut contra cunctos
Inimicorum incursus
Nobis sit custos tutissimus.

Ad Benedictus.

A. Beatissime
Praesul Corbiniane,
Meritis et virtutibus
Apostolis comparatus,
Nobis peccatoribus
Absolutionem culparum
Impetrato propitius.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O beatum et gloriosum
Antistitem Corbinianum,
Qui flore meriti
Et documento fidei
Sanctam
Illustravit ecclesiam,
Precamur,
Ut suis precibus
Liberemur
A nostris criminibus.

Brev. ms. Plagense anni 1499. Cod. Plagen. s. n. A. — Brev. ms. Secoviense saec. 15. Cod. Graecen. 1548. B. — Brev. ms. Ebersbergense saec. 15. Clm. Monacen. 5972. C. — Brev. ms. Diessense saec. 15. Clm. Monacen. 5677. D. — Brev. ms. Frisingense saec. 15. Clm. Monacen. 19283. E. — Brev. Frisingense imp. Augustae 1491. F. — Brev. Frisingense imp. Venetiis 1516. G. — Brev. Pataviense imp. Venetiis 1508. H. — In 1. Vesp. ad Magn. **A**, 6 ad fehlt AH. — In 1. Noct. **A** 1, 1 Supra montem B. — **A** 2, 4 serviet A. — **R** 1, 1 Walthechizo B. — **R** 2, 9 divinorum H. — In 2. Noct. **R** 2, 3 mula BH. — **R** 2, 9 Ex odore BH. — **R** 3, 1 Gagatha B. — Hiezu die Hymnen: Ad Vesp.: Ave, pastor bone (Anal. IV, 123); ad Noct. Hora matutina, Divisio des vorigen (Anal. IV l. c.).

79. De sancta Cordula.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Ave, virgo speciosa,
clarior sideribus,
Cuius vultum et decorem
concupivit Dominus,
Funde preces creatori
pro tuis supplicibus.

R. O martyr laureata,
mundo fer munera grata,
Iam potens virtutibus
lucis tu filia clara,
Posce dona miseris,
indignis sis tu benigna,
Piis tuis precibus
Placa regem supplicibus,
Reorum facta patrona.

V. O quam feliciter
inhaeres caelestibus,
Reguas cum angelis
laetabunda.

Ad Magnificat.

A. Adest namque sacratissima
dies Cordulae,
Quam gloriosus martyrum
sanguis exornat,
Dum ad mortem, quam fugerat,
ultimo se offerrebat,
Quae animam moribus castis
intulit astris,
Quam sacer angelicus
deduxit ad aethera coetus,
Cuius pio adiuti suffragio
Aeterno perfruamur gaudio.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Haec (est) virgo celebris
merito fidei specialis
Ut iubar in tenebris
(mundo) refulsit actibus
claris.

2. Haec dominum caeli
complectens mente fideli
Respuit errorem
et mundi labentis amorem.

3. Saeviunt tyranni iacula
Virginem trucidando,
Gaudet caeli curia
Ipsam praestolando.

4. Sponsa Christi generosa,
Caritate vulnerata,
Tendens ad caelestia,
Gaudet inter verbera,
Nulla terrent hanc supplicia,
Benedicit Deum in saecula.

5. Laudate Dominum de caelis,
Cuius gratia virgo illustris
Post triumphatum saeculum
Sortem subiit beatorum,
Pulchra canens cantica
Angelorum iam socia.

Ad Benedictus.

A. O Cordula beata,
Dum telo trucidata
Ab Attila fuisti,
Cum virginali grege
Aeternam pari lege
Coronam meruisti,
Fer opem iam tristibus
Patrocinio tuo derelictis
Et post huius vitae tristia
Impende suffragia grata.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Virgo caesa gaudet laesa
Pro te, Domine,
Stat invicta, quando assata
Cruciamine,
Iam de valle miseriae
Cum palma victoriae
Adivit regnum laetitiae,
Cuius pia intercessio
Nos servet a supplicio.

Brev. ms. S. Iacobi Brunen. 30. saec. 14/15. A. — Brev. ms. Raigradense $\frac{D}{K}$ I b 1. saec. 15. B. — In 1. Vesp. R, 1 O mater A. — Ibid. 2 Deo dilecta Cordula B. — Ibid. 4. Miranda praeconia B. — Ibid. 6 tu fehlt A; sis fehlt B. — Ibid. 7—9 fehlen B. — Ibid. 12 Regnans B. — Nach der Oration steht in B noch folgende A:

Angelorum tu regina
Laude freta divina,
Sponsae dilectae canticum
Iubilat virgineum,
Laureatae gemmis, rosis,
Margaritis pretiosis
Et coronis aureis.

Ad Noct. alles de Communi. — In Laud. A 1, 2 fidei insignis A. — A 3, 1 Gemunt tyranni iaculo B. — A 4, 6 Dominum B. — A 5, 2 insignis. B. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 3 Stat invicta quassata B; lies quando icta? — Ibid. 5 Iam fehlt B. — Ibid. 9 Nos salvet B.

80. De ss. Cosma et Damiano.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Haec ad laudem summi regis
exsultet ecclesia
Cosmae atque Damiani
colendo sollemnia.
2. Exorti sunt uno die
illustri progenie,
Uno quoque sunt renati
sacrato baptismate.
3. Sese namque mancipantes
in praeceptis Domini
Toto nisu respuerunt
blandimenta saeculi.
4. Adflictique per diversa
tormentorum genera
Meruerunt gloriosi
vehi super aethera.
5. Terrea linquentes
excelsaque regna petentes
Vivunt in Christo
superna luce fruendo.

Ad Magnificat.

A. Cosmam atque Damianum
veneremur martyres,
Qui virtute meritorum
micuerunt celebres
Et praesentis vitae pompas
respuendo noxias
Gloriantur et exsultant
in caelesti patria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus venerantes
regem regum Dominum,
In quo refulget corona
gloriosa martyrum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In Aegea civitate
orti prole nobiles
Cosmas atque Damianus
exstiterunt proceres.
2. Hos uno ortu geminos
felix mater edidit,
Adultos quos studiis
literarum tradidit.
3. Docti vero dominicis
exemplis et apice
Ad arcem summae virtutis
meruerunt scandere.

Responsoria.

1. Gloriosa celebrantes
martyrum sollemnia
Cosmae atque Damiani
recolamus merita,
Quibus carne resoluti
petierunt aethera,
V. Angelica quoque saepti
turma lucidissima.

2. Hi medicinalis artis
periti industria
Hominibus iumentisque
dabant refrigeria,
V. Imitantes quidem regis
aeterni vestigia.

3. Cumque sancti memorati
pollerent virtutibus,
Toto corde praeoptabant
coniungi martyribus,
V. Ut cum Christo fruerentur
gaudiis caelestibus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vigebat quidem in illis
virtus parsimoniae,
Quamvis adhuc fruerentur
annis pueritiae.

2. Transcendentes servi Dei
iura puerilia
Toto corde sequebantur
sanctitatis opera.

3. Erant namque castitatis
pollentes virtutibus
Veracesque in sermone,
bonis compti moribus.

Responsoria.

1. Sanctos Dei cohortando
Lysias sacrilegus
Iubet, ut vanis parerent
idolorum cultibus
V. Relictisque summi regis
sacris visionibus.

2. Contemnentes sancti fratres
praesidis imperium,
Firma petra solidati
superant eculeum,
V. Inde grates Deo caeli
pura mente referunt.

3. Exsuperant ignes
sancti flammasque voraces,
Praeside prostrato
pia dant iubilamina Christo,
V. Sic quoque falsorum
spernunt simulacra deorum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sistentes ergo devoti
divinis officiis
Sancti fratres se intimis
domabant ieiuniis.

2. Gaudii vitae praesentis
calcata lascivia
Gestabant super adflictos
pietatis viscera.

3. Supernae largitionis
iam repleti gratia
Distribuebant infirmis
multa beneficia.

Responsoria.

1. In mare merguntur
Cosmas sacer et Damianus,
Angelicis manibus
gaudentes inde trahuntur,
V. Hinc referunt laudes
regi Christo iubilantes.

2. Athletae Domini
crucis, en, suspendia passi
Et lapidum noxas
contemnunt atque sagittas,
V. Vincunt carnifices
prosternunt atque lictores
Et reddunt animas
Iesu Christo pretiosas.

3. O medici fortes,
caelesti luce fruentes,

Mentibus infirmis
medicamen fundite nostris,
V. Ut per vos mundi,
per vos quoque viribus aucti
Constanter vitam
mereamur adire supernam.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Gloria sublimis
sit Christo lausque perennis,
In quo vir sanctus
Cosmas nitet et Damianus,
2. Hi Domino teneris
gemini placuere sub annis
Fulgentes rutilis
meritis velut orbita solis.
3. Sanant aegrotos,
pellunt medicamine morbos,
Lumen dant caecis,
succurrunt daemone fessis.
4. Illorum meritis
homo, quem deceperat anguis,
Fit mox incolumis,
gaudet plebs inde fidelis.
5. Laudes sanctorum
pangamus, Christe, tuorum,
Pro quorum precibus
surrexit de nece functus.

Ad Benedictus.

A. Inclite Cosma, vale,
salveque, sacer Damiane,
In quibus enituit
laurea martyrii,
Sumite nostrarum,
petimus, iubilamina laudum
Et nobis medicam
ferte salutis opem.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Iam sacer aetherea
Cosmas refulget in aula
Exsultans Domino
cum fratre suo Damiano,
Hinc quoque dulcimodas
illorum psallimus odas,
De quorum meritis
terrae congaudeat orbis.

Brev. ms. Gebennense saec. 15. Cod. Parisin. 1318. A. — Brev. ms. SS. Cosmae et Damiani prope Turones saec. 15. Cod. Turonen. 152. B. — Brev. Sistaricense imp. Sistarici 1513. C. — In 1. Vesp. Super Ps. **AA** stehen in 2. Vesp. A. — **A** 2, 4 in sacro A. — **A** 5, 1 Terram A. — **A** 5, 4 suprema C. — Ad Magn. **A**, 4 meruerunt A. — Ibid. 7 Gloriamur A. — Invit. 1. Adoremus salvatorem A, veneranter C. — Ibid. 2 venerantes regem regum A. — In 1. Noct. **A** 1, 4 praecives A, praesules C. — **R** 1, 7 Angelica quos laetetur A. — **R** 1, 8 via lucidissima A. — In 2. Noct. **A** 3, 1 Erant nempe C. — **R** 1, 1 artando C. — In 3. Noct. **A** 1, 1 ergo officiis A. — **A** 1, 2 divinis devoti A. — **R** 2, 2 en fehlt A. — B hat drei eigene Hymnen zu diesem Officium; vgl. Anal. XI, Nr. 169—171.

81. De ss. Cosma et Damiano.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

1. Laeta salutaris
impetret turba medelas,
Quae te, Cosma, refert
te, Damiane, sonat.
2. Sola sonans reliquos
nunc lingua redimat artus,
Et populus fratres
noscat adesse pios.
3. Blanda triumphali
citharizent guttura laude,

Debitus his sanctis
nec sileatur honor.

4. O medici, nostris
infundite pharmaca plagis,
Et manui cedant
vulnera nostra sacrae.

5. Cosma pater, nostris
clemens clamoribus assis
Teque doce terris
non habuisse parem.

Ad Magnificat.

A. Multis sanctorum
speciales vincere morbos
Dat Deus, ast nobis
vincere, quidquid obest.
Particulas alii,
vos totum corpus habetis
Pellere trans morbos
seu rapuisse neci.

In Completorio.

Ad Nunc dimittis.

A. Sublimes facti
vos carnis morte cadendo,
Clara triumphali
premitis qui sidera gressu,
Sacros in terras
oculos deflectite, vestra
Ut qui festa colunt,
iam laudis lucra reportent.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Nunc adoremus,
quo Cosmas quo Damianus
Aegris salvificas
imposuere manus.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nunc pia sanctorum
resonent sollemnia fratrum,
Quorum corporeus
vincitur angor ope.

2. Ne sua sacrilego
frustrarent pectora nummo,
Dant gratis, gratis
quod genus artis habent.

3. Iam sua divitibus
nil prosunt munera, pauper
Languidus absque stipis
munere sanus abit.

Responsoria.

1. Theodora, felix
et splendida pariter mater,
[Hymnos] ad altisonos
assis cum prole beata,
V. Tu tibi cum natis
communes suscipe laudes.

2. Per te corporeo
surgit medicina dolori,
Vincit Arabs Cosmas
aegrum Damianus et orbem;
V. Vanescunt pulchro
victi certamine morbi.

3. Hi doctore Deo
fulgescunt arte medendi,
Cur et philosophos
et terrea dogmata vincunt,
V. Pravos ingenti
mores virtute retrudunt.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hos natura colit
querulo subiecta dolore,
Humanumque sonet
auxia vota genus.

2. Quisquis eris, morbos
qui suffers, organa laxans
Sacris harmonicum
fratribus ede melos.

3. Fessa malis curant
non tantum corpora, verum
Labentes animas
cana sub ima stygis.

Responsoria.

1. Palladiam curans
morbi gravitate iacentem,
Fers prece devictus
[munus], Damiane, pusillum,
V. Tunc renuit Cosmas
tecum dormire sepulcro.
2. Impatiens Lysias
sanctorum excrescere famam
Vult, referant aris
falsorum tura deorum,
V. Idola contemnunt,
furit acrior angue tyrannus.
3. Cumque pii fratres,
diro in certamine fortes,
Artati vinclis
cum carcere vincula rident,
V. Iniecti in pelagus
pervincunt aequoris ima.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Qui de ventre viri
trahis amplum, Cosma, colubrum,
Fac, ne nos Stygius
toxicet ore draco.
2. Qui vitas dederant,
gladio cecidere cruento,
Sic male respondent
facta scelesta piis.
3. Supplicis, o fratres,
animas et corpora plebis
Desuper in vestra
semper habete manu.

Responsoria.

1. Divini Lysiam
blasphemi nominis ultro
In faciem caedunt
Satanae mortisque ministri,
V. Orat opem praeses,
quam tu non, Cosma, negasti.
2. O quicunque simul
ferro cecidistis eodem,
Ardua iam summo
venistis ad astra triumpho,
V. Victores eadem
vos mors et gloria iungit.
3. Qui mare vicistis,
vastum vicistis et ignem
Nec non dira crucis
Vobis tormenta parata;
V. Ingentes poenas
superat patientia fratrum.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Ad nova tu nostrum
laedentia vulnera pectus
Cum Cosma antidotum
des, Damiane, novum.
2. Tu duplicem servis
impetres, Cosma, salutem
Corporis atque animae,
sic miserere, pater.
3. Iam pereant plagae
pereant et vulnera, languor
A facie fratrum
cunctus in orbe ruat.
4. Non satis est linguis
fratres laudare beatos,
Auxiliis quorum
cetera membra valent.
5. Pessima per facies
sanetur laesio, fratres,
Pectoris introrsus
scilicet atque foris.

Ad Benedictus.

A. Caelica terrenis
infundite pharmaca plagis,
Nunc caeli medici, et
terris donate relictis,
Quam nunc orat opem
sceleris gens saucia telo,
Ut sibi speratas
valeant cognoscere vires.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Tartarei teli
qui vulnera saeva mederis,
Huc ades et plebis
suscipe, Cosma, preces.

2. O spes languentum,
Cosma et Damiane, virorum,
Mittite de sursum,
quam rogitamus, opem.

3. Cito potens medica
de fratribus unus et alter
Sordida sperantum
tergere membra potest.

4. Praemia tam dignis
non possumus aequa referre
Hospitibus caeli,
spem quibus orbis habet.

5. Innumeris iustum est
medicos iam flectere fratres
Laudibus, ex quorum
munere turba valet.

Ad Magnificat.

A. Impositi caelo
fratres iam morte decori,
Pro terrae populis
adcumuletis opes,
Per quas morborum
longe vanescat et absit
Impetus et mentis
turbida noxa ruat.

In Completorio.

Ad Nunc dimittis.

A. Humanas audire preces
clementia vestra
Artis opisque simul
iam relevare velit.

Brev. ms. S. Adeodati saec. 16. Chm. Monacen. 10 909. — Den zum Officium gehörigen Hymnus siehe Mone III, 259.

82. De sancto Cyrillo.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Gloriosum lumen,
Temporibus defluxis velatum,
Nunc clare rutilasti,
Cum annoso stillati
Vaticinii inchoantem
Adepto fine desiccasti,
Sancte pater Cyrille, Carmelita,
Festivitas tua in hac vita,
Per quam prophetasti,
Devote nos promat ita,
Ut mens nostra virtute polita,
Velut tu radiasti.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Laeta voce, corde toto
Laudemus Dominum
Et pro Cyrillo hoc devoto
Gloriemur in Domino.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus
iste vir Cyrillus,
Consilio
praelatorum consignatus,
Humilis
quamvis et tantillus,
Virginis
Dei fuit advocatus.

2. Doctores quidam fremuerunt
Inania meditantes,
De Dei genetrice contulerunt
Puritati suae derogantes.

3. Sanctus pater Carmelita
Multos sensit adversantes,
Quos confudit ita,
Ut Deum exstent collaudantes.

Responsoria.

1. In festivitate hac novella
Cordis intimo reseretur cella,
Laudes laetas compromamus
Cyrillo sancto, quem amamus,
Et meritis eius gloriemur,
Ut in caelis praemiemur.

V. Dominus Deus praeamandus
Ducat nos per vias rectas,
Quas Cyrillus venerandus
A vitiis gressus est perfectas.

2. Vir miro vigens ingenio,
Laureatus signo doctorali,
Fratrum vitam pro suo modulo
Contemplatus oculo mentali,
Fraternitati eorum petiit adunari,

V. Habitum salutiferum
sincerius cupiebat,
A prophetis traditum
devotus induebat.

3. In Carmeli monticulo
Penes Eliae rivulum
Vir magnae sanctitatis
Fratrum vixit consortio
Tenue tenens edulium
Temporalibus abdicatis,

V. In monte fructifero
Roratae ubertatis,
In loco florigero
Clarae amoenitatis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pater sanctus invocavit
Deum in oratorio
Et, quidquid voluit, impetravit
In sui cordis oraculo.

2. Mane in missa Deus astabat
Sancto Cyrillo peroranti,
Malignum spiritum effugabat
Annulo bono radianti.

3. O quam admirabile
Opus Deus demonstravit,
Futurum inevitabile
Ecclesiae revelavit.

Responsoria.

1. Cyrillus, vir religiosus,
A mundo resiliens
Ac Deo religatus,
Totus exstat virtuosus,
Ad montana prosiliens,
Carmelita professatus;

V. Paupertatis documenta
Ut perfecte teneamus
Et huius mundi blandimenta,
Oret, ut vitamus.

2. In Carmeli montis alveario
Mel sugit apis caelica,
Dum in sui cordis armario
Sonant cantus angelici
Corporali in effigie evocati,

V. Ob meritum patris tanti
Mentem nostram dulcorent
Et pro gratia spiritus sancti
Nobis implorent.

3. Digne Deus designavit
Locum prophetarum,
Quem Cyrillo destinavit,
Amico suo caro,
Ut prophetam adfirmaret,
Qui nutum Dei praedicaret,

V. Per manus angelicas
Eum visitavit,
Et tabulas argenteas
Scriptas praesentavit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vitam ducens innocentem
Carmeli montem habitavit,
Spiritum Deo oboedientem
Ad caeli culmen translegavit.

2. Coronam pretiosam presbyterii
In capite eius posuisti,
Dum sacrum ministerii
Confessorem eum elegisti.

3. Doctrina eius salutifera
Domini terra exstat plena,
Dum verba eius et opera
Aedificant corda serena.

Responsoria.

1. Is stella praeradians
In ordinem paupertatis,
Orbem episcopatu illustrans
Moribus conformatis,
Signis et miraculis
Veridice coruscavit,
Ut fide dignorum oraculis
Romana sedes adprobavit;
V. Aegra corpora recreavit
Spiritus Dei dono,
Infecta corda emundavit
Decoratus . . . .

2. Vergente mundi vespere
Deus vatem praesentavit,
Cui in missarum opere
Sua secreta revelavit,
Quorum plurima prospere
Ecclesiam designavit,
V. In praesenti saeculo
Mala quae nos premunt,
Sancti Cyrilli oraculo
Praedicta sunt et erunt.

3. Pater sancte Cyrille,
Presbyter Carmeli,
Nos pluries quam mille
Duc ad aram caeli,
Per tua sancta merita
Dele nostra debita
Et ordinis nostri catervam
Dei perfice gratia.
V. Nobis assit decor Carmeli,
Matris non desit gloria caeli.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Decorem Carmeli
Sanctus Cyrillus induit,
Dum fortitudine Dei caeli
Amictus claruit.

2. Servitute laeta
Domino servivit
Cyrillus, dum propheta
Solum Deum concupivit.

3. Sanctus pater diluculo
Ad Deum festinavit
Et sui cordis oculo
Devote rogavit.

4. In opere deifico
Deus benedicitur,
Quod Cyrillo presbytero
Angelice describitur.

5. Spiritus spirtualiter
Spiritum revelavit
Cyrillus Dei Domini
Dum futura prophetavit.

Ad Benedictus.

A. Decor detur huic Carmeli
Cyrillo sancto et fideli,
Qui deiferam gloriosam
Abimata macula
Praeclare defensavit,
Ex effectu cordis zeli
Et favore puri veli
Sui ordinis in patronam
A sede apostolica
Prae cunctis impetravit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Cyrille, eremita,
Arachmicola [sic!]
Tua sancta docet vita,
Te heredem fore caeli,
Nam terris delectaris
Angelicis colloquiis,
Es a Deo sociatus
Divinis eloquiis.

Brev. ms. Carmeli Bambergen. anni 1467. Cod. Bambergen. Ed. VII 25. In 1. Noct. A 3, 4 exstat. — R 3, 6 abdicatum. — In 2. Noct. A 3, 3 Inevitabile futurum. — R 2, 4 sq. Nach angelici (angelica?) ist wohl ein Vers ausgefallen. — R 3, 4 Lies carum? — In 3. Noct. R 1, 3 episcopatum. — In 2 Vesp. Ad Magn. A, 5 Lies Nam in terris delectatus?

83. De sancto David.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ardens verbo, martyr voto,
Claustri nutritus moribus,
Purus virgo, corde toto
Intentus Dei laudibus,
David, piae melodiae
Es vere dignus vocibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christo cantet ecclesia,
Qui ipsam sic ditavit,
Extollendo praeconia
Praeclari patris David.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. David simplex oculis
Vixit columbinis,
Iugis in fluentulis
Residens divinis.

2. Custos toto studio
Animae decoris
Nil curat de pallio
Vanitatis foris.

3. Formulat praecordiis
Puros cogitatus
Nec promit eloquiis
Steriles tractatus.

Responsoria.

1. Piorum pius filius
Parentum, David inclitus,
Ut stellae micans radius
Mores sectatur penitus,
V. Nunc sua dans hilarius,
Nunc sacris votis deditus.

2. Fit comes multum providus
Sanctae vitae claustralibus,
Qui mundo fuit splendidus
Auro, servis et opibus,
V. Perfectionis avidus
Dispersit haec pauperibus.

3. Ori obponens ostia
In frivolis obmutuit,
Aspectus et eloquia
Mulierum timuit,
V. Loquentes inutilia
Gravissime redarguit.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Munda David praecordia
Virtutum clarent speculis,
Ut sint exemplaria
Magnis atque parvulis.

2. Est virtutum fundamentum
Et decor humilitas,
Ipsam sibi fulcimentum
David fixit sanctitas.

3. Dolet, flagrat, lacrimatur,
Suspirans ad martyrium,
Quando sibi nuntiatur
Sanctorum excidium.

Responsoria.

1. Amans cordis munditiam
Praerumpit cogitatus,
Adponit diligentiam
Per preces et ploratus,
V. Sic servat innocentiam
Christo confoederatus.

2. Sanctus David humilis,
Non timet opprobria,
Antiquo David similis
Hic eius est in patria,
V. Christum ducens in iubilis
Ad sui cordis atria.

3. Leo furit, ursus lingit,
Et Golias grandem fingit
Sibi fortitudinem,
Christi armis se praecingit
Sanctus David et confringit
Hanc tantam multitudinem.

V. In labore quidquid stringit,
Huius sancti non exstinguit
Amoris magnitudinem.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Verbum serit, mortem quaerit
Clamans infidelibus,
Ut quiescant, resipiscant
Ab idolorum cultibus.
2. Solus orat nocte, rorat
Genas multis lacrimis
Pro novorum conversorum
Confortandis animis.
3. Elevatur, transformatur
In globum lucis splendidum,
Vere rarum tam praeclarum
Sancti privilegium!

Responsoria.

1. Affectans per martyrium
Suum augere meritum
Plagas, minas, auxilium
Non timet nec interitum;
V. Amoris stillicidium
Sic inebriat spiritum.
2. Invenit modos varios
Pacis et amicitiae,
Per quos multos nefarios
Lucrabatur ecclesiae,
V. Sic fortes operarios
Auxit Christo cotidie.
3. Pater David, stirpe clarus,
Vita iustus, arte gnarus,
Digna proles Angliae,
Cur venisti de remotis
In indoctis Suenis, Gotis
Viam vitae quaerere?
Vidi claras margaritas,
Licet luto delinitas,
Iacentes in pulvere,
V. Derelictis regno, patre,
Rebus caris atque matre
Has volebam emere.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctum David decoravit
Larga Dei dextera
In tot signis fide dignis
Per virtutum opera.
2. Iucundetur, gratuletur
Tota terra Sueciae,
Sonant pie hierarchiae
Nunc caelestis curiae.
3. In praeclara caeli ara,
Deus, tecum vigilat
David, laetus et quietus
Te fruendo rutilat.
4. Astra, mundus, terrae fundus
Benedicant Dominum,
Qui tam bonum dat patronum
In salutem hominum.
5. Sit decora, sit sonora
Suenum laudatio
In insigni tam benigni
Sancti natalitio.

Ad Benedictus.

A. Ora, psalle, pater David,
Coram arca foederis,
Nos excusans, quos prostravit
Premens unda sceleris,
Ut salvati tibi demus
Laudum decem milia
Et viventes enarremus
Larga Christi magnalia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Christi templo comportavit
Aurum, aes et ebora,
Quae Sigfridus copulavit
Firma nectens ancora;
Illius templi lapides
Aeterna Christi caritas
Nos iungat et vera fides
Ac almi David sanctitas.

Brev. Arosiense imp. Basileae 1513. — In 1. Vesp. Hymnus: Gaude, devota Suecia (Klemming I, 78); ad Noct: Tener ligni vermiculus (ibid. 79); ad Laudes: Exsultet caelum laudibus (ibid. 86).

84. De ss. Desiderio et Reginfrido.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Ad sanctorum sollemnia
Currat plebs devota
Deo regenti omnia
Solvens pia vota.

R. Assunt festa iam cunctis grata
Sancti Desiderii
Eius fidique consortis,
Reginfridi, viri fortis,
Quorum mors est pretiosa
In conspectu Domini;

V. Quorum pio interventu
Exoramus et obtentu
Vota nostra praesentari
Et devote commendari.

Ad Magnificat.

A. Christe, praesta desiderata
Sacramenta mysterii
Non diffidi hora mortis
Nec succidi vitae portis,
Ne mors nostra odiosa
Fiat tuo nomini.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Surgite sollicite
cupientes gaudia vitae,
Martyribus solite
psalmum iubilando venite.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus Desiderius
Intus et exterius
Armis cinctus fidei
Caritatis et spei.

2. Ex illustri et famoso
Sanguine descendit,
Mundi cultum cum pomposo
Fastu vilipendit.

3. Mentem fixit ad optatum,
Ad virtutum principatum.

4. Generis nobilitatem
Morum venustate
Vicit mundi vilitatem
Vitae puritate.

5. Puer Desiderius
Vere desiderabilis,
Intus et exterius
Deo peramabilis.

6. Decursis annis pubertatis
Vernantis pueritiae
Ad decorem castitatis
Scandit et munditiae.

Responsoria.

1. In aetate iuvenili
Hausit corde sitibundo,
Quod post tempore senili
Fudit ore mundo,

V. Quidquid boni legerat
Simul et audierat
Cordis de profundo.

2. Incremento disciplinae
Est magnificatus,
Quod mox legis est divinae
Didascalus vocatus,

V. Literarum studio
Mentis cum tripudio
Sic est sublimatus.

3. Per virtutum ornamenta
Qui sic fuit ornatus,
Est per gradus incrementa
Electus et vocatus

V. Ad gradum episcopatus,
In quo fulsit Deo gratus
Et a cunctis peramatus.

4. O quam mitis et benignus
Fulsit praesul Deo dignus
Cura pastorali
Circa plebem, quam regebat
Et benigne refovebat
Affectu spiritali,

V. Curam gerens infirmorum,
Viduarum, pupillorum
Et desolatorum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Assumpto secum Reginfrido,
Dulci ac prudenti viro,
Coepit terras peragrare
Et verbum vitae seminare.

2. Postquam Romae intraverunt
Terris multis peragratis,
Sacra loca lustraverunt
Fervore caritatis.

3. Ubi diu dum mansissent
Atque vota excoluissent,
Dominum benedicebant
Atque grates referebant.

4. Postquam Romam sunt egressi
Viri fortes indefessi,
Faciem verterunt
Ad viam, qua venerunt.

5. Statim quidam infirmari
Inter eos coeperunt
Et tantum debilitari,
Quod mortui fuerunt.

6. Quos vir Dei sepultura
Digna tumulabat
Animasque Deo pura
Prece commendabat

Responsoria.

1. Hic perfusi caritate
Et sincera bonitate
Corpora vigiliis
Mactabant et ieiuniis,

V. Noctes ducentes insomnes
In divinis laudibus
Sanctos imitabant omnes
Cum orationibus.

2. Dum itineris consortes
Quosdam sepelisset
Atque quosdam adhuc fortes
Mente persensisset,
Christo reddit pia vota,
Quod sinceritate tota
Dies elegisset,

V. Luctu plene mitigato
Et dolore commutato.

3. Hic vir sanctus, ut audivit
Schisma praedicari,
Mox ad locum tunc adivit
Volens sciscitari
Huius rei veritatem
Et erroris falsitatem
Totam exstirpare;

V. Veritatem astruebat
Et morose satagebat
Plebem informare.

4. De fide dum ambigitur,
Aequa lex dum praefigitur,
Ignis ut paretur
Et quisquis suum baculum
Cunctis ad spectaculum
Inicere conetur,
Mira res peragitur,
Ignis mox incenditur,
Baculi iactantur;

V. Fidei sinceritatem
Atque rei veritatem
Cuncti praestolantur.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

Laudat omnis plebs matura
Sanctam trinitatem,
Quod ex tali coniectura
Noscit veritatem.

Responsoria.

1. Astant ad spectaculum
Cuncti praestolantes,

Horum cuius baculum
Flammae sint vorantes;
Mox Dei iudicio
Unus incineratur,
Alter sine vitio
Illaesus asportatur;
V. Stat pontifex schismaticus
Confusus et elinguis,
Hoc baculus probaticus
Eius [fecit] et ignis.

2. Dum devota femina
Verbi Dei semina
Devote suscepisset,
Divinaque mysteria
Per sancta desideria
Vir Dei complevisset,
Potum petit sibi dari,
Quo volens refocillari,
Illa cum dedisset,
V. Vas non sentit detrimentum
In liquore nec contentum,
Ille cum bibisset.

3. Praesulatu sublimatus
Vir sanctus Desiderius,
Deo multum peramatus,
Plebem suam uberius
Praedicando confortavit
Et in fide roboravit
Intus et exterius,
V. Verbo mentem recreando,
Corpus cibo reformando.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Cum ad locum passionis
Sancti pervenerunt,
In modum orationis
Sese prostraverunt,

2. Vir devotus sibi dura
Sciens eventura,
Suos monuit orare
Nec a fide deviare.

3. Prior morti est addictus
Sanctus Reginfridus,
Semivivus est relictus
Post haec servus fidus.

4. Dum iacerent sic prostrati
Deum exorantes,
Assunt viri scelerati
Praedam affectantes.

5. Dum iaceret sic prostratus
Sanctus Desiderius,
Hostis ense perforatus
Exstitit celerius.

Ad Benedictus.

A. Vir devotus dum perspexit,
Servus caput quod erexit,
Sentiens hunc vivere
Rogat illum regyrare
Et factum renuntiare
Ac mortuos reducere.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Statim caput dispertitum
Vepre colligavit
Et per cursum semicitum
Factum nuntiavit.

Ad Tertiam.

A. Laudat omnis plebs matura
Sanctam trinitatem,
Quod ex tali coniectura
Noscit veritatem.

Ad Sextam.

A. Statim mulier devota
Cum turba vicinorum
Sublimavit in birota
Corpora sanctorum
Et ad sua deportavit
Et devote tumulavit
More defunctorum.

Ad Nonam.

A. Dum cum praeda sic per rura
Hostes oberrarent
Atque se per verba dura
Nimis satiarent,
Accidit Dei vindicta,
Ut se praeda derelicta
Mutuo necarent.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O devota beatorum
Martyrum victoria,
Quorum vota meritorum
Comprobat memoria,
Dum in terris finiuntur,
Christum vere consequuntur
In caelesti gloria.

Brev. ms. Monasticum anni 1481. Cod. Eremiten. 759. — Invit., 3 sollicite. — In 1. Noct. A 3, 1 Mentis. — In 2. Vesp. ad Magn. A, 7 caelestia gloria.

85. De sancto Dominico.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Gaude, felix
parens Hispania,
Novae prolis
dans mundo gaudia,
Sed tu magis
plaude, Bononia,
Tanti patris
dotata gloria,
Lauda, tota
mater ecclesia,
Novae laudis
agens sollemnia.

Ad Magnificat.

A. Transit pauper
ad regni solium,
Dux ad sceptrum,
victor ad praemium,
Mors in vitam,
labor in otium,
Praesens cedit
luctus in gaudium.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Assunt Dominici
Lacta sollemnia,
Laude multiplici
Plaudat ecclesia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Praeco novus et caelicus
Missus in fine saeculi,
Pauper fulsit Dominicus,
Forma praevisus catuli.

2. Florem pudicitiae
Servans illibatum,
Attigit eximiae
Vitae caelibatum.

3. Documentis artium
Eruditus satis
Transiit ad studium
Summae veritatis.

Responsoria.

1. Mundum vocans
ad agni nuptias
Hora cenae
pater familias
Servum mittit
promittens varias
Vitae delicias;
V. Ad hoc convivium
Tam permagnificum
Eligit nuntium
Sanctum Dominicum.

2. Datum mundo
pro mundi gloria
Mira Christi
praesignat gratia,
Cuius ortum
praecurrunt nuntia
Veri praesagia;
V. Stella micans
in fronte parvuli
Novum iubar
praemonstrat saeculi.

3. Verbum vitae
dum palam promitur.

Surgunt hostes,
liber conscribitur,
Favent omnes,
sic error vincitur,
Fides extollitur;
V. Ter in flammas
libellus traditus,
Ter exivit
illaesus penitus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sub Augustini regula
Mente profecit sedula,
Tandem virum canonicum
Auget in apostolicum.
2. Agonizans
pro Christi nomine
Mundum replet
divino semine
Paupertatis
degens sub tegmine.
3. Pernox cum Christo proprium
Non possidebat lectulum,
Post lacrimarum fluvium
Vix humi dans corpusculum.

Responsoria.

1. Paupertatis
ascendens culmina
Clamat mundi
detestans crimina,
Frangit hostes
et fugat agmina,
Nulla sanctum
frangunt discrimina;
V. Nocte caeli
perlustrans limina
Die terris
dat verbi semina.
2. Panis oblatus caelitus
Fratrum supplet inopiam,
Vitaeque natus redditus
Matris pellit tristitiam;
V. Signo crucis
oboedit pluvia,
Lingua verba
transformat varia.
3. Granum excussum palea,
Nexu solutum luteo
De paupertatis area
Caeli locatur horreo,
Cum mercede virginea
Doctorum fulgens cuneo,
V. Flos in florum
virens areola
Bina gaudet
sortis aureola.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Sitiebat servus
Christi martyrium,
Sicut sitit cervus
Ad aquae fluvium.
2. Migrans pater filiis
Vitae firmamentum
Paupertatis humilis
Condit testamentum.
3. Liber carnis vinculo
Caelum introivit,
Ubi pleno poculo
Gustat, quod sitivit.

Responsoria.

1. Felix vitis,
de cuius surculo
Tantum germen
redundat saeculo
Caeli vinum
propinans populo
Vitali poculo;
V. Ex ubertate palmitum
Mundi iam cinxit ambitum.
2. Ascendenti
de valle lubrici
Mundi chori
plaudunt angelici;
Iesu bone,
prece Dominici
Tibi praesta
nos gratos effici,

V. Per quem multos
a morte suscitas,
Poenas nobis
relaxa debitas.

3. O spem miram, quam dedisti
Mortis hora te flentibus,
Dum post mortem promisisti
Te profuturum fratribus,
Imple, pater, quod dixisti,
Nos tuis iuvans precibus;

V. Qui tot signis claruisti
In aegrorum corporibus,
Nobis opem ferens Christi
Aegris medere moribus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Adest dies laetitiae,
Quo beatus Dominicus
Aulam caelestis curiae
Civis instrat magnificus.

2. Pauper in peculio,
Dives vita pura,
Paupertatis pretio
Caeli tenet iura.

3. Scala caelo prominens
Fratri revelatur,
Per quam pater transiens
Sursum ferebatur.

4. Linguae, manus studio
Scalam hanc erexit,
Quam virgo cum filio
Mater sursum vexit.

5. Fulget in choro virginum
Doctor veritatis,
Sertum honoris geminum
Gerens cum beatis.

Ad Benedictus.

A. Carnis vigor,
mentis martyrium,
Mundum replens
vocis praeconium,
Pauper Christi,
post cursus stadium
Vitae tibi
mercantur praemium.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O lumen ecclesiae,
Doctor veritatis,
Rosa patientiae,
Ebur castitatis,
Aquam sapientiae
Propinasti gratis,
Praedicator gratiae,
Nos iunge beatis.

Infra Octavam.

Ad Benedictus.

A. Benedictus
redemptor omnium,
Qui saluti
providens hominum
Mundo dedit
sanctum Dominicum.

Ad Magnificat.

A. Magne pater,
sancte Dominice,
Mortis hora
nos tecum suscipe
Et hic semper
nos pie respice.

Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Olomucen. I VIII 4. A. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Rossian. s. n. B. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Constantien. 1393. C. — Brev. ms. S. Ludovici Pisciacen. saec. 14. ex. Cod. Parisin. (Arsen.) 603. D. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Vatican. 7237. E. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Hagen. V 27. F. — Diurn. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Dresden. A 314. G. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 13. Cod. Donaueschingen. 312. H. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. in. Cod. Tolosan. 77. I. — Brev. ms. Praedicatorum saec 15. Cod. Bambergen. Ed. VII 3. K. — Brev. ms. Wisensteigense saec. 15. Cod. Maihingen. II 1. Fol. 178. L.

Brev. ms. Unterlindense saec. 14. Cod. Colmarien. 308. M. — Antiph. ms. Praedicatorum Stetten. saec. 15. Cod. Sigmaringen. 32. N. — Brev. ms. Augustanum anni 1397. Cod. Chigian. D V 65. O. — Brev. ms. Waradinense anni 1460. Cod. Vatican. 8247. P. — Brev. ms. S. Sepulchri Bambergen. saec. 15 Cod. Maihingen. II 1. 4° 39. Q. — Brev. ms. Albense saec. 15. Cod. Lambacen. LXXXIX. R. — Brev. Praedicatorum imp. Venetiis 1507. S. — Brev. Aversanum imp. s. l. 1499. T.

In 1. Vesp. ad Magn. A Magne pater, sancte Dominice etc. R. — Hymnen: in 1. Vesp.: Gaude mater ecclesia (Mone III, 270); ad Noct.: Novus athleta Domini (Mone III, 270); in Laud.: Hymnum novae laetitiae (Mone III, 269).

86. In translatione s. Dominici.

In 1. Vesperis.

Super Psalmos.

A. Adest dies laetitiae,
Quo beatum Dominicum
Exaltavit rex gloriae
Per odorem mirificum.

Ad Magnificat.

A. Magnificat Dominicum
Christus novo miraculo,
Dum odorem mirificum
Eius profert ex tumulo.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Assunt Dominici
Laeta sollemnia,
Laude multiplici
Plaudat ecclesia.

Ad Nocturnum.

Antiphonae.

1. Praeco novus et caelicus,
Missus in fine saeculi,
Pauper fulsit Dominicus,
Forma praevisus catuli.
2. Florem pudicitiae
Servans illibatum,
Attigit eximiae
Vitae caelibatum.
3. Documentis artium
Eruditus satis
Transiit ad studium
Summae veritatis.

Responsoria.

1. Fulget decus ecclesiae
Novo clarum prodigio,
Lucerna splendet hodie
Diu latens sub modio,
Quam odore rex gloriae
Revelavit eximio.
V. O mira suavitas
Inauditae fragrantiae,
Per quam patris dignitas
Declaratur ecclesiae.

2. Virgo, pugil Christi,
virtutum forma fuisti,
Verbo fulsisti,
dum transferri meruisti,
Fragrat odor, dulces
cantant caeli agmina laudes;
V. Regna tuis pande
caeli, doctor venerande.

3. In odoris
mira fragrantia
Populorum
currit frequentia,
Ubi passim
Christi clementia
Sana reddit
membra languentia;
Sidus quondam
oppressum nebula
Veri solis
pandunt miracula.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Gemma sub terra latuit
Despecto iacens loculo,
Cuius virtus apparuit
Multiplici miraculo.

2. Corpus sacrum, quod fuerat
Apotheca charismatum,
Universam exsuperat
Fragrantiam aromatum.

3. Glebam sacri corporis
Odor propalavit,
Quam neglecti temporis
Cursus occultavit.

4. Tumba mira fragrantia
Profundens vim odoris,
Corda reddit ardentia
In laudem salvatoris.

5. Superans fragrantiam
Odor pigmentorum
Cumulum et gloriam
Monstrat praemiorum.

Ad Benedictus.

A. O quantus stupor populi,
Quanta fratrum laetitia,
Dum loco sacri tumuli
Mira prodit fragrantia,
Currunt senes et parvuli
Ad sancti beneficia.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O speculum munditiae,
Carnis carens spurcitia,
Tuae colentes hodie
Translationis gaudia
Transfer ad regnum gloriae
Post huius vitae stadia.

Brev. ms. Praedicatorum Vindobonen. s. n. saec. 15. A. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14/15. Cod. bibl. publ. Olomucen. I VIII 4. B. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. bibl. Rossianae s. n. C. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Constantien. 1393. D. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Bambergen. Ed. VII 3. E. — Brev. ms. Praedicatorum in Phorczen anni 1407. Cod. Stuttgartien. 1 b 46. F. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Carolsruhan. Pm. 38. G. — Brev. Praedicatorum imp. Venetiis 1514. H. — Die Hymnen sind dieselben wie zum vorhergehenden Officium.

87. De sancta Dympna.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Sacro felix germine
Laetetur Hibernia,
Cuius floret sanguine
Iubilans Antwerpia.

2. Regis nata laudibus
Efferatur dignis,
In his nationibus
Potens et insignis.

3. Velut inter nebulas
Stella matutina
Christianae splenduit
Legis disciplina.

4. Patris ob insaniam
Et amorem Dei
Veniens Antwerpiam
Se placentem hostiam
Mundam libat ei.

5. Ne nos premat Aegyptius,
Qui mergi mares imperat,
Reduc, martyr, in melius,
Quod te laudantes onerat.

Ad Magnificat.

A. Beata, quae metuit
Metu filiali

Christum, dum praeposuit
Regno temporali
Nec consensu mali
Regis voto paruit,
Ideo nunc adfluit
Gloria spiritali.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus hodie
Salvatoris nomini,
Qui palmam victoriae
Dympnae dedit virgini.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. In magnificentia
Dei super caelos
Dympna regis filia
Laudum profert melos.
2. Aspernendo saeculum
Cum insigni prole
Suum tabernaculum
Posuit in sole.
3. Mente pura, munda corde
Innocens et manibus
Inquinari stupri sorde
Totis obstat viribus.

Responsoria.

1. Ortus in Hibernia
Floret in Antwerpia
Puritatis flosculus,
Cuius vigil oculus;
V. In honore conditam
Avis huius semitam
Ignoravit regulus.
2. A beato Gereberno
Baptizatur iam materno
Privata solamine
Virgo Dympna nomine,
V. Idolorum vanos ritus
Detestatur penitus
Sancto fervens flamine.
3. Suo phoenix tempore
Portavit in corpore
Iesu Christi stigmata
Spernens ortus stemmata,
V. Frequens mente memori
Recondebat pectori
Sacrae legis dogmata.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Omnis decor filiae
Regis est ab intus,
Ramos extendens gratiae
Quasi terebinthus.
2. Haec regio saepta munimine
Nullo potest vinci tentamine,
Cuius pater in fortitudine
Turbatus est amaritudine.
3. Mundum, carnem, daemonium
Quia vicit in stadio,
Ecce, sicut laetantium
Est omnium
Illius habitatio.

Responsoria.

1. Quasi stellis
luna lucidior,
Verbo potens
et actu fortior,
Contemptu fit
mundi nobilior,
V. Forma decens
aspectu pulchrior.
2. Tanto captus a decore
Delectatur in amore
Visae pulchritudinis
Incentor libidinis,
V. Promittens divitias
Aspirat ad nuptias
Venerandae virginis.
3. Virgo metu
nec dono frangitur,
Non oboedit
et non obsequitur

Nisi Christo,
cui committitur,
V. Corde credit
et ore loquitur,
Nullo cedit,
a nullo vincitur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dympnae sanctimonia
Fuit pulchritudo,
Quam ditat in gloria
Vitae longitudo.

2. Eius in circuitu
Nubes nec caligo,
Sed in sancto spiritu
Tripudium,
Pax, dulcedo cordium
Lucis et origo.

3. Ad honorem nominis
Eius recensemus
Triumphum certaminis
Mirificum,
Novum laudis canticum
Domino cantemus.

Responsoria.

1. Vigor huius virginis
Nil distat ab hominis
Ausu iam admisso,
Quam nequit inflectere
Furor gentis miserae
Metu vel promisso;
V. Bona coniugatio,
Rosa nubet lilio
Purpuraque bysso.

2. Tandem regnum
pro domo terrea
Passione
commutans rosea,
Genitoris
occumbit framea,
V. Rubens foris
et intus nivea.

3. Admiratur ratio
Martyris sub modio
Corpus vivens mortuum,
Cuius usum sensuum
Digitosque manuum
Restaurat oratio;
V. Nobis in perpetuum
Per hanc sit excessuum
Nostrorum remissio.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Sanctam Dympnam Dominus
Induit decore,
Pro quo mundum respuit
Cum honorum flore.

2. Cordis cum laetitia
Domino servivit,
Cuius ad iustitiae
Portas introivit.

3. Tota mente fugiens
Carnis incentivum
Exquisivit sitiens
Deum, fontem vivum.

4. Vernans signis
et ope sedula,
Quem in terris
exaltant, singula,
Benedicit
cum in saecula.

5. Omnes terrae termini
Cum hac sancta Dei
Laudent nomen Domini
Iubilantes ei.

Ad Benedictus.

A. Festina, ne tardaveris
Nobisque, mater, miseris
Infunde rorem gratiae,
Ut carnis nostrae vitiis
Submersis cum Aegyptiis
Tecum fruamur requie.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Exsultans in filiis
Laudum cum obsequiis
Cordis ex laetitia
Alleluia
Consonet ecclesia;
Dies est victoriae
Martyris eximiae,
Celebris memoria,
Alleluia
Consonet ecclesia;
Lapsus ergo criminum
Huius apud Dominum
Excusent suffragia,
Alleluia
Consonet ecclesia.

Antiph. ms. Gelense saec. 15. Cod. S. Dympnae Gelen. s. n. — In 1. Vesp. A 1, 4 Iubilans Gela, Korrektur. — In 1. Noct. R 1, 2 Floret in Gela, Korrektur. — (Die beiden zu diesem Officium gehörigen Hymnen vgl. Anal. XXIII, 162.)

88. De sancto Edmundo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude, Sion,
ornata tympano,
Decor tuus
coniunctus galbano,
Lauda illum
chordis et organo,
Cuius sponsa
venit a Libano.

2. Christi iugum
Edmundus teneris
Adulescens
portavit humeris,
Virtutibus
se iungens superis
Minorat se
tamen prae ceteris.

3. A convalle lacrimarum
Ad caeli fastigium
Ponit gradus gratiarum
Implorans auxilium,
Huius vitae ne viarum
Declinet in invium.

4. Iste pastor
dignus memoria,
Virga cuius
fugatur bestia,
Vita cuius
occidit vitia,
Finis cuius
finit in gloria.

R. Vallem mundi tam profundi
Munda transit orbita
Pes Edmundi, ne confundi
Possit virtus inclita,
Nil immundi cordis mundi
Reperitur semita;
V. Cum olivae ramo redit
Ad arcam in vespere,
Non invenit, unde venit,
Quo possit quiescere.

Ad Magnificat.

A. Magnificat
anima Dominum,
Qam sigillo
signavit luminum,
Quam propriam
cruore proprio
Sibi fecit
crucis ludibrio,
Quam viventem
ornavit gratia,
Quae post mortem
vivit in patria.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus regem regum
Implorantes gratiam,
Qui transvexit supra mundum
Edmundum in gloriam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Beatus vir impiis
se non sociavit,
Quem, quia cum stantibus
stare recusavit,
Pestis pestilentiae
non incathedravit.

2. Quare fremunt
hostes in ostium,
A quo pendent
tot arma fortium,
Quod non timet
impulsus hostium?

3. Cum invocat, exauditur
Edmundus a Domino,
Cuius voces exaudire
non differt in crastino,
Qui fideli Deo fidem
servat sine termino.

4. Verba supplicantium
Auribus percipias,
Qui linguas infantium
Ad laudandum expias,
Ora te laudantium
Ad laudes aperias.

5. Domine rex,
quam admirabilis,
Cuncta moves
manens immobilis,
In nos labens
in te non labilis.

6. In Domino dominorum
Confisus est, non honorum
Edmundus in onere,
Nam honores, hostes morum.
Sine mora sycomorum
Succidunt in vespere.

Responsoria.

1. Primus iaspis lapidum
in Edmundi fabrica
Fabricae subponitur,
ut fides catholica
Per augmentum operis
regna tangat caelica;

V. Designatur
fides in iaspide,
Prior omni
ponendus lapide.

2. Secundus in fabrica
saphyrus erigitur
Coloris aerei,
per quem spes innuitur,
Per quam a terrigeno
caelum adipiscitur;

V. Edmundi spes elevatur
Ad habendum, quod speratur.

3. Opus sancti fabricatum
Consummat carbunculus,
Qui est virtus caritatis,
Qua sic Christi famulus
Ardens lucet, quod ad lucem
Omnis stupet oculus;

V. In ardore caritatis
Ut iubar aethereum
Pluit verbum veritatis
Populo vas aureum.

4. In tribus catholicis
virtus circulatur,
Quattuor politicis
circulus quadratur,
Ut a septenario
nunquam moveatur;

V. Sic septem virtutibus
Edmundus ornatur,
Sic ornatus spiritu
septeno firmatur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Domine, qui in tuo
vivunt tabernaculo,

Eis es in requie,
eis in umbraculo,
Tu eos inebrias
voluptatis poculo.

2. Domine, in virtute
tua vir laetatur,
Qui dum adhuc viveret,
in te laetabatur,
Cui mundi laetitia
nihil videbatur.

3. Domini sunt omnia,
caelum, terra, mare,
Qui cuncta de nihilo
potuit creare,
Qui dissona consonis
voluit ligare.

4. Exaudi nos, Domine,
protector eorum,
Qui te colunt, praedicant,
cor et corpus quorum
Confitentur opere
te Deum deorum.

5. Te decet laus
honor et gloria,
Cui iure
debentur omnia,
Cuius nutu
vivunt mortalia.

6. Bonum est fideliter
tibi confiteri,
Cui lex est parcere,
ius est misereri,
Nescis malum hodie,
quod factum est heri.

Responsoria.

1. Latere non poterat
Virtutum lucerna,
Quae succensa fuerat
A luce superna,
Clamat gestus hominis,
Quod sub ala numinis
Lateant interna;

V. Ne cum Dina corrumpantur
Sichimorum macula,
Sensus omnas castigantur
Disciplinae ferula.

2. Sub nodis cilicii
Corpus expers vitii
Domat vir beatus,
Viget in vigiliis,
Pinguescit ieiuniis
Iugis cruciatus,

V. Se sui carnificem
Ante summum iudicem
Offert maceratus.

3. Sublimatus in pastorem
Urbis Cantuariae
Onus gerit, non honorem,
Ut Cherubim gloriae
Plus ignescit in saporem
Gustus sapientiae,

V. Maior factus de minore,
Minor manet in maiore.

4. Cor Edmundi purpuratur,
Dum cruoris memoratur
Christi morientis,
Candet byssus castitatis,
Rubet coccus caritatis
Aaron vestimentis;

V. Iacinthus intexitur
tamquam verus testis,
Quod Edmundus civis sit
patriae caelestis.

In 3. Nocturno.

Ad Cantica.

A. Cantica laetitiae
Caeli cum principibus
Sic psallamus hodie
Coniuncti psallentibus,
Ut voces concordiae
Concordent caelestibus.

Responsoria.

1. Plebis pondus sustinet
super humerali,
Iuste iudex iudicat
in rationali,

Talum tangit poderis
opere finali;
V. Ornant frontem lamina,
signum puritatis,
Sonant tintinabula
verbum veritatis.

2. Exsulat ab Anglia
Praesul pro iustitia,
Regnum intrat Galliae
Verbi plenus gratiae,
Mortis solvit debitum,
Commendatum spiritum
Reddit regi gloriae;
V. Reportatur Domino
Cum lucro talentum,
Talento pro quolibet
reportantur centum.

3. Non est nostrae paupertatis
Nec humanae facultatis
Referre miracula,
Quibus virtus deitatis,
Testis sancti sanctitatis,
Illustravit saecula,
V. Mors et morbus admirantur,
Quod sic signa dominantur.

4. Ad te, locum gratiarum,
Gratae mentis non ignarum,
Iesu bone, lacrimarum
Revertuntur flumina,
Quibus tibi supplicamus,
Ut viventes sic vivamus,
Quod post vitam teneamus
Tecum caeli culmina;
V. Tu Edmundi precibus
A tuorum mentibus
Sua tergas crimina.

In Laudibus.

Super Psalmos.

A. Ad laudandum caeli regem
Cohortemur nostrum gregem,
Clament cordis gemitus,
Te bonorum creatorem,
Te donorum largitorem
Laudet omnis spiritus.

Ad Benedictus.

A. Benedictus oriens
Dator verae lucis,
Qui pro nobis moriens
Cruciatu crucis
Caecis lumen attulit,
Baculum caducis;
O rex regni gloriae,
Qui Edmundum hodie
Ad regnum reducis,
Fac nos eius precibus
Tam votis quam vocibus
Sic tibi placere,
Ut datum pauperibus
Regnum in caelestibus
Possimus habere.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Primae lucis
orto iam sidere
Supplicemus
affectu celeri,
Ut sic velit
nos die conteri,
Ne conterant
nos umbrae vesperi.

Ad Tertiam.

A. Tertia nos repleat
spiritus in hora,
Quo Edmundi claruit
aetatis aurora,
Qui loqui discipulis
in voce sonora
Linguis novis docuit
brevi motus mora.

Ad Sextam.

A. Sexta novus Abraham
diei fervore,
Divino divinitus
succensus amore,
Tres visos detriplicat
uno sub honore,
Honorem credentium
purgans ab errore.

Ad Nonam.

A. Nonae sanctus memor horae,
Qua Messias moritur,
Intra missam suo more
Messiae commoritur,
Sacro sacra sumens ore
Sic sumit et sumitur,
Quod amborum in amore
Cor unum efficitur.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Quanti sanctus sit nominis,
Mortui testantur,
Qui utriusque hominis
Morte tenebantur,
Nam Edmundi meritis
Multi suscitantur.

2. Cum leprosa delepratur
Sub Edmundi pallio,
Audit surdus, mutus fatur
Praesulis praesidio,
Christi fides dilatatur,
Laetatur religio.

3. Caeci vident, currunt claudi,
Valent paralytici,
Daemon cedit, salus redit,
Surgunt epilentici,
Salvat sanos, aegros sanat
Summi manus medici.

4. Qui prece, qui merito
Tot auxiliaris,
Caritatis debito
Nobis tenearis,
Ut nos more solito
Tuos tuearis.

Ad Magnificat.

A. Suum suscepit puerum
Memor misericordiae
Pater post verba verberum,
Sicut ad patres patriae
Praedixerat, sic hodie
Transfert ad thronum gloriae
Suorum patrem pauperum,
Quem sicut venam veniae
Rogamus, ut in posterum
Simus ei memoriae.

Brev. ms. Parisense (Pairis) saec. 13. Cod. Colmarien. 315. add. saec. 14. A. — Brev. ms. Wettingense saec. 13. Cod. Aragien. W 7 q. B. — Brev. ms. Cisterciense saec 14. Cod. Vallicellan. C. 106. C. — Brev. ms. Cisterciense saec. 14. Cod. Parisien. 8882. D. — Antiph. ms. Hilariense V anni 1632. E. — D beginnt mit **R**, 3 der 1. Noct.; das vorhergehende ausgerissen; E hat nur die Teile des Diurnale. — In 1. Noct. **R** 3, 9 verbum caritatis C. — In 3. Noct **R** 1, 5 ponderis C. — **R** 2, 3 Galliam C. — In Laud. ad Bened. **A**, 15 Possitum C. — Ad Prim. **A**, 7 Non conterant C. — Hymnen cfr. Anal. IV, Nr. 230—233

89. De sancto Eligio.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Dum contendit in agone,
Spe mercedis et coronae
Suspirat Eligius.

2. Gregem suum consolatur
Dicens, quod non terreatur,
Licet absit corpore.

3. Flentes dicunt: miserere,
Nobis absit hoc videre,
Noli nos deserere.

4. Febrem sentit in se volvi,
Putans per hanc iam resolvi
Deprecatur Dominum.

5. Christe, memor esto mei
Pacis, lucis, requiei
Locum mihi tribue.

Ad Magnificat.

A. O mirandum et laudandum
Caeleste mysterium,
Quod praetendit et ostendit
Electi praeconium,
Qui per avem designatur,
Sicut matri revelatur,
Volantem sublimius,
Qua signaris Christo caris
Te comparari dignius.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Personemus tibi, Christe,
Laudes in Eligio,
Cuius novo locus iste
Gaudet beneficio.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Eligius a re nomen
Est sortitus, cuius omen
Iustus a iustitia
Deus dedit et gratia.
2. Eligio dante vota
Deo flagrat domus tota,
Cuius secreta thalami
Perfudit odor balsami.
3. Eligii dum fabrile
Surgit opus tum exile
Luminibus obicem
Semper habet codicem.

Responsoria.

1. Decantemus salvatori
Laudes in Eligio,
Cuius prece nequit mori
Quidam in suspendio,
V. Quem fovet Eligius
ad pia vota pius.
2. Dum oraret sanctus Deum,
Ut securum reddat eum
Certa per indicia,
Utrum sibi sit accepta
Beneplacens et perfecta
Sua paenitentia,
Ecce, quidam astitisse
Sibi visus et dixisse
Grandi cum fiducia:
V. Eligi, gaude,
tua sancta precatio laude
Digna caret laude
. . quod petis, illud habere.
3. Iste verus faber auri,
Namque ipso sunt thesauri
Vere sapientiae,
Qui probatur verum aurum,
Non hanc hiems urit laurum
Virentem tota die;
V. Surdos audire
faciens claudosque salire.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Eligius trecentarum
Pater fuit puellarum
Fundans his coenobium.
2. Sanctus autem pro filia
Libros et necessaria
Ponit in caelestia.
3. Eligius, plenus bonis,
Tam puellis quam matronis
Dat vitae subsidium.

Responsoria.

1. Gravidata nova fetu
Cum esset Terrigia,
Consternata fuit metu
Propter nova somnia
Stratum . . . . . .
Quandam vidit aquilam
Forma sui praefulgentem
Et pennis in nubilam;
V. Sanctus erit de te,
ait sibi voce prophetae.
2. Crevit infans Deo carus
Subtili ingenio,

Quem Francorum rex praeclarus
Doctum artificio
Laudat, fovet ut probatum
Auri dato pondere,
Quod mirando duplicatum
Est in eius opere.
V. Reddita sella duplex
. . . . . .

3. Dum benigne contrectari
Nec in manu se portari
Vellet emissarius,
Hunc cessante feritate
Pia pius pietate
Sanavit Eligius;
V. Nam femur obstrictum
sancti virtute refictum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Eligius ad decorem
Dei domus et honorem
Auget ministerium.
2. Sancti providentia
Subministrat omnia,
Ne sit neglegentia.
3. Sancti viri gratia,
Quam habet in curia,
Malis est inopia.

Responsoria.

1. Iste forma speciosus
Et decore roseo
Stola sua gloriosus
Cinguloque aureo,
Regi supra serina,
Christo subtus cilicina
Veste placens nimis
mortalia quaeque negabat,
V. Omnia captivis
pauperibusque dabat.
2. Sicut apis sagax florem
. . . sugit et decorem
Fert ad alvearia
Sic virtutum possessorem
Vitae sanctae per odorem
Sancti probat gratia,
V. Nam vas dante merum
non deficit sibi merum.

3. Lux, Eligi, qui multorum
Refulsisti monachorum,
Sic praesentem rege chorum.
Quod post huius vitae forum
Luce beatorum
ponatur in aede polorum;
V. Qui pietate cluis,
auxiliare tuis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Eligius, Dei templum,
Bonis in se per exemplum
Magis vult proficere.
2. Dari sibi petit villam,
Bonum possit ut per illam,
Quod intendit, facere.
3. Rex audita voluntate
Sancti sui largitate
Donat ei praedium.
4. In quo coetu monachorum
Congregato beatorum
Fundat monasterium.
5. Fratres sancti mente tota
Deo reddunt sua vota
Iubilantes cordibus.

Ad Benedictus.

A. O dilecte praesul, audi
Nos vacantes tuae laudi.
Quosque tenet navis Petri
Fluctuantes hos a taetri
Syrte salva putei
Portusque siderei
Pace dona perfrui.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
ST. MICHAEL'S COLLEGE
LIBRARY

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Sancto sanctum emittente
Spiritum de corpore
Sphaera ignis est repente
Visa caelum tangere,
Quae praetendens signum crucis
Hunc ad domum verae lucis
Signavit conscendere.

Brev. Gebennense imp. Gebennae 1479. — In 1. Vesp. **A** 1, 1 Dum tendit in. — **A** 4, 1 in se revolvi. — Ad Magn. **A**, 2 ministerium. — Ibid. 4 O electi; lies Eligii? — Ibid. 7 Sielantem sublimi. — Ibid. 8 sq. Qua dignaris eum Christo tuo caro simul te comparari dignius. - In 1. Noct. **A** 3, 1 dum fabrice. — **A** 3, 2 Surgit opus dum exiles. — **A** 3, 3 Liminibus ob rem. — **R** 2, 2 Ut obscurus reddat. — **A** 2, 3 Circa per iudicia. — **A** 2, 8 Sibi iustus et. — **R** 2, 9 confiducia. — **R** 2, 10 Eligi grande. — **R** 2, 13 Quo petis illud. — **R** 3, 6 Urentem tota. — **R** 3, 8 faciensque psallire. — In 2. Noct. **A** 2, 2 Sanctus autem filiam. — **R** 1, 9 erit de te mater. — **R** 2, 4 Docturus. — **R** 2, 10 prio data pondere. — **R** 3, 1 Dudum benigne. — **R** 3, 2 Nec in manu se ferri. — **R** 3, 5 piis. — **R** 3, 7 femur obstractum. — **R** 3, 8 virtute reparatum. Oder lies: Nam femur est fractum sancti virtute repactum? — In 3. Noct. **R** 1, 4 Angeloque aureo. — **R** 1, 5 supra ferrina. — **R** 2, 1 sq. Lies: florum sugit mel atque decorum? — **R** 2, 3 Ferens ad alas varias. — **R** 3, 5 aede fehlt. — In Laud. **A** 2, 1 petit multa. — **A** 2, 2 poscit. — Ad Bened. **A**, 2 vocantes. — Ibid. 4 Et fluctuantes hos a cetu. — Ibid. 5 Sixte salva putei. — Ibid. 6 Portumque. — In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 1 emittentem. — Ibid. 7 Est visa luce conscendere. — Am Texte dieses Officiums mufste mehr, als sonst in den Anal. mit Recht der Brauch ist, geändert werden, da derselbe gar zu schlecht überliefert ist; in den Genfer Brevieren von 1487 (Gent) und 1525 (Lyon) ist leider dies Officium (vielleicht seiner Fehlerhaftigkeit wegen?) bereits ausgemerzt; zu demselben gehören die Hymnen: in 1. Vesp.: Pium patrem Eligium (Anal. XI, 117); in Noct.: De fabri ministerio (Ibid. 115): in Laud.: Quis similis Eligio (Ibid. 117).

90. De sancta Elisabeth.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Lactare, Germania,
Claro felix germine
Nascentis Elisabeth
Ex regali semine.

2. Quae nexu coniugii
Data viro socia,
Suave iugum Domini
Tulit ab infantia.

3. Apta tandem viri votis
Sicut crevit viribus,
Ita prius sic devotis
Excrevit virtutibus.

4. Sic fulgebat in aspectu
Exculta decentius,
Paupertatem in affectu
Colebat attentius.

5. Quanto sese deprimebat
Humilis nobilitas,
Tanto magis elucebat
Nobilis humilitas.

R. Benedictus sit Dominus,
Deus omnis gratiae,
Qui coronavit ad portam
Paradisi hodie
Pauperculam, sed exortam
Regum de progenie.

V. Mulieres opulentae,
Audite et facite
Secundum hanc, ex divite
Factam voluntarie.

Ad Magnificat.

A. Gaude, caelum, terra, plaude,
Dies adest digna laude,
Plena dies gloria,
Qua Elisabeth antiquum
Castitatis inimicum
Elisit victoria;
Pia mater et matrona,
Tuis sanctis precibus
Interventrix et patrona
Sis pro nobis omnibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Regi Deo iubilantes
Laudum per insignia
Exsultemus venerantes
Elisabeth sollemnia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex ore lactentium
Laudem Deo perficit,
Infantes egentium
Dum quasi nutrix reficit.

2. A calore caritatis
Calefacti pauperes,
Iuxta prunas nuditatis
Lactantur immemores.

3. Inquinari manus sorde
Reputans delicias
Infirmorum mundo corde
Tractat immunditias.

Responsoria.

1. De paupertatis palea
Dum quasi granum germinat
Elisabeth insignis,
Haereses ab area
Fidei disterminat
Meritis et signis;
V. Aures surdis reserat,
Claudis gressum reparat
Et caecis incessum.

2. Ista regis filia
Haec contemptibilia
Mundi non elegit,
Sed se ipsa fortior
Seseque sublimior
Se sibi subegit,
V. Spiritum ieiunio,
Carnem sub cilicio
Iugiter castigans.

3. O mirandam mulieris
Huius fortitudinem,
Qua in se vitae veteris
Sic occidit hominem,
Et potestates aeris
Vertit in formidinem;
V. Hoc pugnatura stadio
Mente virum induit
Femur cingens gladio.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ab intus regis filiae
Omnis decor gloriae,
Nihil foris appetit
Laudis et honoris.

2. Omnium refugio
Fortiter adhaeret,
Dum viri solatio
Vidua careret.

3. Habens caelo fundamentum
Aurum super et argentum
Prudenter aedificat,
Dum pauperes laetificat.

Responsoria.

1. Aspernata saeculum
Generosi sanguinis
Parvipendet titulum,
Apprehendens enim fusum
Manuum consilio
Victus quaerit usum,
V. In gazophylacium
Vidua cum vidua
Totum mittens pretium.

2. Egens egenis largiens
Sibi nil retinuit,
Caeleste regnum ambiens
Haec praesens omne respuit;
V. Fide grandis, spe secura
Manum mittit ad futura.
3. Caeco nato, cui nec sedes
Erant oculorum,
Instrumenta lucis dedit,
Et naturae decus redit
Per momenta temporum,
V. Novum hoc spectaculum
Idem isti vetus Christi
Renovat miraculum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Deo decantent omnia,
Qui vitam reddit mortuis
Elisabeth suffragiis
Effugat daemonia.
2. Iustae lux orta gratiae
Late spargens radium
Rectis corde studium
Ingerit laetitiae.
3. Deus palam omnibus
Revelans iustitiam
Salutarem gentibus
Per hanc infudit gratiam.

Responsoria.

1. Famulis se famulam
fecit haec beata,
Coquinae squaloribus
gaudens deturpata
Et cor gerens indefessum
Debiles debilior
Portat ad secessum,
V. Sic sedula paupercula
Lavit istos, illis stravit.
2. Aman in patibulo
cum Esther appendit,
Holofernis dexteram
in caput extendit
Et suum periculo
populum defendit;
V. Manum mittens ad fortia
Sic vincit innocentia.
3. O lampas ecclesiae
Rivos fundens olei,
Medicina gratiae,
Nutrimentum fidei,
Tutelam praesta pavidis,
Calorem minus fervidis
Languidis medelam.
V. Tu Dei saturitas,
Oliva fructifera,
Cuius lucet puritas
Et resplendent opera.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dominus Elisabeth
induit decore
Cuius iam parata est
sedes in honore.
2. Deo cum laetitia
serviens puella
Sub magistri manibus
sustinet flagella.
3. Haec ad Deum sitiens
Et currens in siti
Carnis desideriis
didicit reniti.
4. Domo, rebus dum ablatis
Mendicat hospitium,
In camino paupertatis
Benedicit Dominum.
5. In tantis virtutibus
Famulae fidelis
Laudet omnis spiritus
Dominum de caelis.

Ad Benedictus.

A. Cornu salutis hodie
In turribus ecclesiae
Dominus erexit,
Quo de manu Philistaei
Castra protexit fidei
Ac in viam gratiae
Plurimos direxit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Exsultet vox ecclesiae,
Nam caput superbiae
Elisabeth contrivit,
Quae non exaudivit
Vocem exactoris,
Cuius intercessio
Revertentes societ
Angelorum choris.

Brev. ms. Ord. Teutonici anni 1461. Cod. Arch. Ord. Teut. 185. A. — Brev. ms. Rumoldi de Sickingen, episcopi Wormatien. Cod. Parisin. 1310. B. — Cod. S. Floriani XI, 616 add. saec. 13 C. — Cod. S. Floriani XI, 245. saec. 14. D. — Brev. ms. Teplense anni 1353. Cod. Prag. VII F 23. E. — Brev. ms. Kremsense saec. 12. Cod. Capit. Olomucen. 258. add. saec. 13. F. — Brev. ms. Cistercien. Gallic. saec. 13. Cod. Casanaten. A IV 47 (1465). add. saec. 14. G. — Brev. ms. Franciscan. Italic. saec. 13/14. Cod. Matriten. C 69. H.

Brev. ms. Trevirense saec. 14. Cod. Treviren. 366. — Brev. ms. Praemonstratense (?) anni 1281. Cod. Capit. Treviren. 177. — Brev. ms. Trevirense saec. 15. Cod. Cusanus 71. — Brev. ms. S. Mariae Gedanen. saec. 15. Cod. bibl. OO. 88. Fol. 218. — Brev. ms. Monasteriense saec. 15. Cod. Darmstadien. 950. — Brev. ms. Tremoniense saec. 15. Cod. Darmstadien. 869. — Brev ms. Coloniense saec. 13. Cod. Darmstadien. 940. — Antiph. ms. Rasdorfense saec. 15. Cod. Fulden. Aa 55. — Brev. ms. Wingartense saec. 15. Cod. Fulden. Aa 122. — Brev. ms. S. Bonifatii Fulden. saec. 15. Cod. Fulden. Aa 81. — Antiph. ms. S. Bartholomaei Francofurten. saec. 15. Cod. Francofurten. Barth. 94. — Brev. ms. S. Bartholomaei saec. 15. Cod. Francofurten. Barth. 83. — Brev. ms Maguntinum saec. 15. in. Cod. Francofurten. Barth. 150. — Brev. ms. Wormatiense anni 1460. Cod. Semin. Magunt. 2157. — Brev. ms. S. Florini ad Confluentes saec. 15. Cod. Semin. Magunt. s. n. — Brev. ms. Spirense saec. 15. Cod. Vatican. Palat. 514. — Brev. ms. Augustanum saec. 15. Cod. Vatican. Palat. 523. — Brev. ms. Coloniense saec. 15. Cod. Vatican. Burgh. B. 2. 93. — Brev. ms. Augustanum anni 1397. Cod. Chigian. D V 65. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Casinen. 193. — Brev. ms. Troianum saec. 15. Cod. Neapolitan. VI E 16. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Angelic. C V 14. — Brev. ms. Veteris Capellae Ratisbonen. 1908. saec. 15. — Brev. ms. Eistettense saec. 15. Cod. Eistetten. Fol. 122. — Brev. ms. Cisterciense Neerland. saec. 14 Cod. Pianoren. M 1. — Brev. ms. Aquisgranense saec. 15. Cod. Florentin. Magliabech. XXXVI 7 a. — Brev. ms. Praedicat. Meten. saec. 15. Cod. Univ. Bononien. 2865. — Brev. ms. Argentinense saec. 15. Cod. Parmen. HH IV 18. — Brev. ms. Frisingense anni 1479. Cod. Mutinen. X H 1. — Brev. ms. Constantiense anni 1470. Cod. Eremiten. 82. — Brev. ms. Monasticum saec. 15. Cod. Eremiten. 84. — Brev. ms. Monasticum saec. 15. Cod. Eremiten. 758. — Antiph. ms. Berouense saec. 16. in. Cod. Eremiten. 729. — Brev. ms. Constantiense saec. 13. Cod. Civit. Turicen. C 174. — Brev. ms. Oculense saec. 15. Cod. Matriten. A 174. — Brev. ms. Romanum saec. 15. Cod. Scorialen. a III 6. — Brev. ms. Langhemense saec. 14. Cod. Bambergen. Ed. VI. 10. add. saec. 15. — Brev. ms. Langhemense saec. 14. Cod. Bambergen. Ed VII 7. add. saec. 15. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 15. Cod. Bambergen. Ed. VII 3. — Brev. ms. Heilsbronnense saec. 15. Cod. Erlangen. 704. — Brev. ms. S. Mauritii August. saec. 15 Cod. Augustan. Fol. 99. — Antiph. ms. Traiectense saec. 13 Cod. Musaei German. 4984. — Brev. ms. Herbipolense saec. 15. Cod. Herbipolen. Mp. th. o 2. — Brev. ms. S. Magni in Faucibus saec. 13. Cod. Maihingen. II 1. 8° 13. — Brev. ms. S. Magni in Faucibus saec. 15. Cod. Maihingen. I 2. 8° 13. — Brev. ms. Franciscanum saec. 15. Cod. Capit. Mediolanen. 10. — Brev. ms. Embricense (?) saec. 15. Cod. Sigmaringen. 28. — Antiph. ms. Augiense saec. 12. Cod. Carolsruhan. Aug. 60. add. 13. — Brev. ms. Waradinense anni 1460. Cod. Vatican. 8247. —

Brev. ms. Zwiefaltense saec. 15. Cod. Stuttgartien. 1b 105. — Brev. ms. Praedicatorum saec. 14. Cod. Hagen. V 27. add. saec. 13. — Brev. ms. Ultraiectinum saec. 15. Cod. Hagen. AA 123. — Antiph. ms. Calcariense saec. 16. Cod. Arch. Calcarien. A 14. — Antiph. ms. S. Mariae Traiecten. saec. 14. Cod. Ultraiectin. 411. — Brev. ms. Nissense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 246. — Brev. ms. Camencense saec. 14. Cod. Wratislavien. I Q 243. — Brev. ms. Nissense saec. 14. Cod. Wratislavien. I Q 247. — Brev. ms. Saganense saec. 15. Cod. Wratislavien. I Q 249. — Brev. ms. Henrichoviense saec. 15. Cod. Wratislavien. I O 78. — Brev. ms. Magnntinum saec. 15. Cod. Casselan. Fol. 143. — Brev. ms. Fridslariense saec. 15. Cod. Casselan. IV° 30. — Brev. ms. S. Alexandri Embecen. saec. 15. Cod. Gotingen. 238. — Brev. ms. Quedlinburgense saec. 15. Cod. Quedlinburgen. 132. — Brev. ms. S. Wiperti saec. 15. Cod. Quedlinburgen. 189. — Antiph. ms. Halberstadiense saec. 15. Cod. Wernigeroden. Za 67 m. — Brev. ms. Halberstadiense saec. 15. Cod. Wernigeroden. Za 42. — Cod. Cremifanen. 309. add. saec. 13. — Cod. Lambacen. CLXXVII. saec. 14. — Brev. ms. saec. 15. Cod. Lincen. *F* p. 24.

Viaticus Wratislaviensis imp. Venetiis 1499. — Brev. Wratislaviense imp. s. l. et a. — Brev. sec. usum Domus Hospitalis Hierosolymitani s. Iohannis imp. s. l. 1495. — Brev. Frisingense imp. Augustae 1491. — Brev. Maguntinum imp. Lugduni 1507. — Brev. Paderbornense imp. Lipsiae 1513. — Brev. Traiectense imp. in Schonhoven 1495. — Brev. Hallense imp. Lipsiae 1534. — Brev. Zagrabiense imp. Venetiis 1505. — Brev. Eistettense imp. s. l. et a. (Hieron. Höltzel 1525). — Brev. Eistettense imp. Eistadii 1484. — Brev. Verdense imp. s. l. et a. — Brev. Pragense imp. Nurembergae 1502. — Brev. Pataviense imp. Venetiis 1508. — Viaticus Wratislaviensis imp. Venetiis 1501. — Brev. Sigenense imp. Caesaraugustae 1547. etc. etc.

In 1. Vesp. **A** 2, 3 Domino D. — **A** 5, 2 Nobilis humilitas D. — **A** 5, 4 Nobilis virginitas. D. — **R**, 1 sit fehlt C. — In 1. Noct. **A** 1. 1 lactantium D. — **R** 1, 2 germinans D. — **R** 1, 5 disterminans D. — **R** 2, 2 Hic D. — **R** 2, 4 ipsam D. — **R** 2. 9 castigat D. — In 2. Noct. **R** 1. 7 gazophylacio D. — **R** 2, 4 Hic praesens C. — In 3. Noct. **A** 2, 2 Rectis cordis C. — **A** 3, 4 infundit C. — **R** 1, 6 Debiles debiliter C. — **R** 1, 7 decessum C. — **R** 1, 9 Lavit istos illustravit D. — **R** 2, 6 vincens populum D. — In Laud. **A** 2, 2 sapiens puellae C. — **A** 3, 3 desiderio D. — F hat in 2. Vesp. noch folgende **A**:

O beata sponsa Christi,
Elisabeth, quae meruisti
Apud regem angelorum
Suscitatrix mortuorum
Fieri quam plurium,
Felix tui depressio
Superbis fit repressio
Et robur humilium;
Tu pro nobis, mater pia,
Roga regem omnium,
Ut post hoc exsilium
Nobis det vera gaudia.

Zu dem Officium gehören ursprünglich die Hymnen bei Mone III, 286 und 287; vereinzelt kommen andere vor. So hat z. B. G die Hymnen: Exsultet in ecclesia (Anal. XII, 112) ad Vesp.; ad Noct.: Laeta stupet Thuringia (Anal. XII, 112); so hat H: Gaude, felix Hungaria (Anal. IV, 130) und Laeta stupet Thuringia. Das Officium ist mit den zugehörigen Chorälen veröffentlicht von E. Ranke, Chorgesänge zum Preise der hl. Elisabeth,

Leipzig 1883; der Text bei Klemming III, 64 ff. aus Brev. Lincopense imp. Norimbergae 1493, und bei Dankó, Vetus Hymnarium ecclesiasticum Hungariae, 276 ff. aus Antiph. ms. Posoniense n. 5 vom Jahre 1484.

91. De sancta Elisabeth.

In 1. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Ave, mater pietatis,
Forma patientiae,
Exemplar humilitatis,
Roga regem gloriae,
Ut nos solvat a peccatis
Te colentes hodie
In hac valle castitatis
Lumen mittens gratiae.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoretur rex gloriae,
Sponsus matris ecclesiae,
Qui Elisabeth gaudia
Dat hodie caelestia.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex regali stirpe nata
Mulier haec tam beata
Velut sol inter nebulas
Sic fulsit inter alias.

2. Mundo namque senescente
Et ad finem iam tendente
Tamquam stella clarissima
Hora lucet matutina.

3. Haec sancta ab infantia
Manus misit ad fortia
Inter mundi divitias
Continens ac delicias.

Responsoria.

1. Elisabeth, quae dicitur
Dei sui saturitas,
Nomen opere complebat,
Dum pauperes satiabat,
V. Christum enim tantopere
Satiabat in paupere.

2. Elisabeth ieiuniis
Se mactans et vigiliis,
Offerrebat cotidie
Hostiam regi gloriae
V. Non ex pectore alieno
Sed ex corpore proprio.

3. Haec matrona nobilis
Post decessum coniugis
Totum, quidquid habuit,
Egenis distribuit;
V. Nam de dote propria
Dispersit pauperibus
Marcarum duo milia
Diversis temporibus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Christum valde sitiebat
Inter portas infantiae,
Dum basia porrigebat
Liminibus ecclesiae.

2. Sicut apis mellificans
Ex floribus mel colligens
Congregabat cotidie
Caelestis fructum patriae.

3. Caritate vulnerata,
Malis virtutum stipata
Mactabat carnem propriam
Christo placentem hostiam.

Responsoria.

1. Tandem mitis et patiens
Et contemptu sui gaudens
Eicitur de propriis,
Afficitur opprobriis,
V. De suis nil requirebat,
Quam caritas possidebat.

2. Postremo regis filia
Assumpta vili tunica,
Caris abiectis vestibus
Servit pauper pauperibus,
V. Sequi Christum sic voluit,
Christo namque sic placuit.

3. Elisabeth dum oraret
Et oculis fixis staret,
In altaris sacra mensa
Resplenduit lux immensa,
V. Ibi ostensa sunt ei
Miranda secreta Dei.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Haec mariti post obitum
Castitatis tenens votum
Viri sprevit consortia
Ac magnatum conubia

2. Haec est Lia plena prole,
Quae iam sine carnis mole
Vero Iacob coniungitur
Et ab eo diligitur.

3. Haec ad modum iam Rachelis
Deum videt nunc in caelis,
Qui eius est solatium
Sempiternumque gaudium.

Responsoria.

1. Elisabeth contemplatur
Iesum, a quo visitatur,
Flet et ridet prae gaudio
Fruens eius consortio
Ac praedulci colloquio,
V. Sicut, inquit, esse mecum,
Volo ego esse tecum.

2. Orat matrona nobilis,
Totus ignescit iuvenis,
Pro quo rogat, incenditur
Ac repente convertitur,
V. Pro quo fundit preces pias,
Dolet eius lascivias.

3. Vere matronam felicem,
Vere Dei dilectricem,
Quae meruit prece pia
Dulcis Iesu praesentia
In hac vita visitari
Ac frequenter consolari;
V. O quanta Dei gratia
Refulget haec mater pia!

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Christo regnanti
laus detur honorque potenti,
Per quem regnat in gloria
Elisabeth mater pia.

2. Deo laeti iubilemus
Matrem sanctam collaudemus,
Quae Iesu Christi gratia
Caeli gaudet in curia.

3. Deus, ad te vigilavit
Elisabeth te cupiens
Ac praeter te nil amavit
Te, Christe, semper sitiens.

4. Benedicant creaturae
Creatorem suum iure,
Qui Elisabeth gaudia
In caeli confert curia.

5. Laudes Deo persolvamus
Matrem sanctam venerantes,
Corda, voces adtollamus
Nos ad laudem concitantes.

Ad Benedictus.

A. Salve, rosa pietatis,
Salve, flos Hungariae,
Salve, fulgens margarita,
In caelesti sede sita,
Roga regem maiestatis
Ut nos salvet hodie,
Lumen mittens caritatis
Ac caelestis gratiae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Audi, mater o beata,
Audi preces, audi vota,
Huius parvi collegii
In hac valle exsilii,
Offer ea sponso tuo,
Cuius gaudes consortio
In caelesti iam gaudio.

Brev. ms. S. Vitoni saec. 14. Cod. Virdunen. 116 A. — Brev. ms. S. Vitoni saec. 15. Cod. Virdunen. 117. B. — Brev. Virdunense imp. Parisiis 1525. C. — AB monastisch; in der Anordnung ist C zu folgen, da AB, um die längere Form auszufüllen, teils prosaische, teils dem vorhergehenden Officium entlehnte Teile einzufügen genötigt sind. — In 1. Vesp. R Elisabeth contemplatur etc. AB. — In 1. Noct. AA 1–6 die AA der 1. und 2. Noct. AB. — A 3, 4 ad delicias B. — R 1, 4 satiebat B. — R 2, 5 Lies: Non pectore? — R 3 prosaisch AB — R 3 (= 4 AB), 2 coniugis sui B. — In 2. Noct. AA 1–3 die AA der 3. Noct. AB; AA 4–6 lauten daselbst:

4. Ibi Martha non queritur,
Ubi Maria fruitur
Dulci Jesu colloquio
In sanctorum consortio.

5. Elisabeth, sponsa Christi,
Quae per Deum mernisti,
In caelesti claritate
Eius frui bonitate.

6. Ora cum sanctis omnibus
Ut nos a pravis actibus
Emundet Deus gratia,
Qui tibi dedit gaudia.

R 1 Postremo regis filia etc. AB. — R 2 Orat (Erat B) matrona nobilis etc. AB. — R 3, 6 Mira secreta ABC. — R 4 Vere matronam felicem etc. AB. — In 3. Noct. Ad Cant. A Salve rosa pietatis etc. AB. — A 3, 1 Hic ad modum B. — R 1 Benedictus sit Dominus Deus etc. prosaisch AB. — R 1, 2 Christum B. — R 1, 5 Ac sua in colligio A. — R 2 O mirandam mulieris etc. AB, aus dem vorhergehenden Officium entlehnt. — R 2, 6 Delet eius A. — R 3 Egens egenis largiens etc. AB, aus dem vorhergehenden Officium. — R 4 Caeco nato cui nec sedes AB, ebendaher entlehnt. — Ad Bened. A O beata sponsa Christi etc. vgl. das vorhergehende Officium in den Noten. — AB entlehnen des weitern 4 AA ad parvas horas, die A ad Bened., 4 AA super Ps. in 2. Vesp. demselben Officium. — Hymnen: Ad Vesp. et Laud.: Novum sidus emicuit (Mone III, 286); ad Noct.: O Deus alme, nostris fave votis (Anal. XII, 109).

92. De sancta Elisabeth.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaudeat Hungaria,
Iubilet Thuringia,
Quae dederunt hodie
Pacis et laetitiae
Pignus in ecclesia.

2. Iam nova progenies,
Iam decus regium,
Cuius pulchra facies,
Genus egregium
Terris moritur,
Caelis oritur.

3. Ab adulescentia
Virgo victrix hodie
Cavens dolum subdoli
Offert se Christo die
Iohannis apostoli
Amoris gratia.

4. Quidquid ei petitur
In Iohannis nomine,
Petens felix omne consequitur
Nec repulsam patitur.

5. Ut ipsius et Domini
Augmentetur tribus,
Servit Deo et homini
Cum ancillis tribus.

R. Nata regis, nupta ducis,
Forma Christi crucis,
Regum sprevit schemata,

Dum in suo corpore
In praesenti tempore
Iesu portat stigmata,
Per quam septem neumata
Mundi replent climata;
V. Regnum obliviscitur,
Dum aeternum sequitur
Regem, regis filia
Manens inter vilia
Languidorum schemata.

Ad Magnificat.

A. Sicut virgo virginum
Ad altare Dominum
Offerendum indicat,
Sic suorum puerorum
Singulos purificat,
Quorum in muneribus
Corde, voce, moribus
Dominum magnificat.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Corde psallamus supplici
Trino Deo et simplici,
Qui dilectam suam donat
Elisabeth et coronat
In caelis hodie
Corona gloriae.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Elisabeth
insignis genere,
In croceis
nutrita tenere,
Plus gratia
quam ortu celebris,
Ut Lucifer
micat in tenebris.
2. Sui lusus opera,
Signa pueritiae,
Pia misericordiae
Praetendunt opera
In puerpera
Tamquam gratiae
Primitiae.
3. Iam adulta nuptui
Virgo tradita
Est divino cultui
Magis dedita,
Quam sacra nutui
Viri subdita.

Responsoria.

1. Super regum schemata
Vernans ortu claret nata
Regis Hungarorum
Nobilis Elisabeth,
Nupta viro virum habet
Ducem Thuringorum;
V. Se conformat varie
Pauperum miseriae
Mater miserorum.
2. Sub Conrado, Dei viro,
Quem timebat metu miro,
Vovens castimoniam,
Acquisiti male cibi
Cum ancillis parca sibi
Horret alimoniam;
V. Exsecrat illicitum,
Solum quaerit licitum
Propter continentiam.
3. Lac fluentis, mel manantis,
Vitae fructus terrae dantis
Tendit ad promissum,
Dum ab alto gloriae
Particeps miseriae
Penetrat abyssum;
V. Sic laborem Dominus
In praecepto fingit,
Sic in ipsa geminus
Amor coccum tingit,
Sic retorquet byssum.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Defuncto Lantgravio
Pro caelesti bravio
Vidua dejecta,

Per timoris spiritum
Vilem sumit habitum
Pauper et abiecta.

2. Hospitale construxit
In Marpurgo oppido,
In quo lassis oppido
Quietis exstruxit
Remedia
Caritate media.

3. Pia gestans viscera
Pie cruciatur
Leprosorum ulcera
Pie osculatur.

Responsoria.

1. Dum apertum caelum videt,
Consolantem, ad quem ridet,
Iesum coepit adfari,
Tu vis, inquit, esse mecum,
Sic et ego semper tecum
Nec volo separari,
V. Se promittit Christus ei,
Cum coeperunt mira Dei
Secreta revelari.

2. Ante dies exitus
Eius collo caelitus
Avis modulatur,
A qua voce modula
Dulce cum avicula
Melos decantatur;
V. Iam vicino transitu
Prophetali spiritu
Elisabeth donatur.

3. Cui nec apex neque iota
Mandatorum deperit,
Ut amica pulchra tota
Mortis horam comperit,
Cui mox Christus aperit;
V. Ecce, inquit, instat hora,
In qua vigor deperit,
Meliorem sine mora
Migrans vitam reperit.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Admirandae saeculis
Fiunt ab aviculis
Funeris exsequiae,
Cuius sunt reliquiae
In iucunda requie.

2. Mira nostri temporis
Clara sacri corporis
A partibus dispersis
Sanitates comparant
Et salutem reparant
Aegris universis.

3. Foris mirabiliter
Caecis, mutis, claudis,
Intus sensibiliter
Cum clamore laudis
Subvenit assidue
Sanctae virtus viduae.

Responsoria.

1. Quibus virtus aberat,
Virtute liberat
A iugo carcerali,
Post tumores pelagi
Redduntur naufragi
Saluti temporali.
V. Matrum graves salvat partus
Et informes reddit artus
Decori naturali.

2. Ab insanis exeunt,
A caducis prodeunt
Hae virtutes duae,
Quod mundati sordium
Corporum et cordium
Sunt ab omni lue,
V. Sentiunt hydropici,
Sciunt paralytici,
Clamant et phrenetici
Vim virtutis suae.

3. Tantae signa gloriae
Venerentur hodie
Te creata cuncta,
Cuius vita recitat,
Quod octonos suscitat
Mortuos defuncta;
V. Post laborem operum
Ad quietem superum
Transit mater pauperum
Marthae vice functa.

Prosa.

De convalle paupertatis
Ad aeternae
quietem gloriae
Transit gemma pietatis,
Elisabeth,
gemma Hungariae.

Cuius membris unctionis
Liquor manat
sub roris specie,
Quo diversae laesionis
Dolor omnis
sanatur varie.

O miranda vis virtutis
Huius sanctae
regalis viduae,
Quae salutem caecis, mutis,
Surdis, claudis
confert assidue
Defuncta.

Ad Laudes.

Antiphonae.

1. Tua testimonia,
Christe, credibilia
Nuptis sunt et viduis,
Quas decore induis
Et virtutum gloria.

2. Omnis terra Domino
Iubilet et serviat
Cum hac sancta Dei,
Cuius sine termino
Dulce melos obviat
Et adhaeret ei.

3. Super vitas melior
Est misericordia,
Quam laudant labia
Militantium
Et laus dulcior
Triumphantium.

4. Benedicta vidua,
Cuius laus assidua
Laudi confert hominum,
Benedicit Dominum.

5. Cordis, oris, operis
Tripudio
Cum adiuncta superis
In gaudio
Lauda, plebs fidelis,
Dominum de caelis.

Ad Benedictus.

A. Odor aromaticus,
Refocillans spiritus
Exit a migrante,
Circa corpus sedulus
Flet devotus populus
Christo visitante,
Christi redemptus sanguine
Et insignitus nomine
Post ingemit et ante.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Filiae Ierusalem,
Consolamini,
Vestram imitamini
Matrem spiritalem,
Ad hanc elevamini
Pietate Domini,
Qui columbae similes
Et serpenti respicit,
Et superbos despicit
Et exaltat humiles.

Brev. ms. Bisuntinum saec. 15. Cod. Parisin. 10487. A. — Brev. ms. S. Waldetrudis Monten. saec. 15. Cod. Duacen. 164. B. — Brev. ms. Franciscanum anni 1412 (Privatbesitz). C. —

In 1. Vesp. A 2, 1 In nova C. — A 4, 3 felix homine B, felix omnino C; lies: Petens felix consequitur? — In 1. Noct. hat B andere Responsorien, nämlich:

1. Pulchra, prudens et nobilis
Regis quondam filia,
Dulcis, mitis et humilis
Mundi sprevit gaudia,

Elisabeth, per omnia
Sequens Christi vestigia,
Prout novit melius;
Quam elegit et amavit,
Concupivit, sublimavit
Summi regis filius.
V. Haec defunctis reddit vitam
Sanitatem concupitam,
Aegris confert omnibus
Ipsam implorantibus.

2. Elisabeth obumbravit
Suis Deus scapulis
Et insignem insignavit (!)
Signis et miraculis,
Qui scapula subiugata
Peccati piaculis
Manare sacrum oleum
Facit suis famulis.
V. Onus leve, iugum suave (Christus)
Suis imponit famulis (!).

3. Gratuletur Hungaria,
Elisabeth genitrix,
Congaudeatque Thusia (!),
Tantae matris alitrix,
Per quam vigent miracula
Dono sancti spiritus,
[Liquor], quem sudat scapula
Morbos sanans penitus;
V. Digne decet hanc laudare
Et ad huius anhelare
Sancta patrocinia.

In 2. Noct. **A** 2, 2 In Marpurch C. — **RR** 1—3 die der ersten Nocturn. B. — In 3. Noct. **RR** 1—3 die der zweiten Nocturn B. — **R** 3 fehlt C. — Prosa fehlt C. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** Ab adulescentia etc. AB, cfr. **A** 3 in 1. Vesp. — Hymnen ad Vesp. et Noct.: Pange lingua gloriosae (Anal XII, 111): ad Laudes: Lantgravia Thuringiae (Anal. XII, 111).

93. De sancta Elisabeth.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Elisabeth de rege
Ungarorum stirpe nata,
Vultu decora,
fert iam vidua Deo grata.

2. Iuventutis florem
timore [Domini] texit,
Viduitatis laude
gratiae vixit sine fraude.

3. Regis haec in aula
licet pie [foret] nutrita,
[vias] sui Domini
tenens vera Israelita.

4. Sericis induta
vixit sub magistrae rigore
Pia documenta
amans pro Christi laude.

5. Ungarorum stirpis
progenie hic generata,
Fac post exsilium,
nostra ut sis advocata.

R. De paupertatis
palea haec grana collegit,
Membra dum carnis
propria spiritu subegit,
Ut nil puerile
in opere gerendo
Sedem nil inopis
praebuit et opem dando.
V. Debilis, debilior
erat, quae pauperes sanat.

Ad Magnificat.

A. Plaude, filia Sion,
Christo regi Domino,
Qui Elisabeth sic dilexit,
Odor quam adtraxit
Et Dei sapor et puritas
Ut verum sidus praeclarum,
A sole quod differt parum
Et luna lucidius
Praedicatur,
Christus dum sponsus
In regno adoratur.
Cui cum coniungitur,
Ut nostri memor sit,
Rogemus, in perpetuum.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Dominum
regemque viduarum,
Qui ex Ungaria protulit
pretiosum thesaurum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Ex infantium ore
lactentiumque amore
Laudem perfecisti,
hanc dum caelis invexisti.
2. Gloriam caeli
enarrant et opera Dei,
Dum in firmamento
sponsa [con]iungitur Christo.
3. Plenitudo terrae,
maris et omnium rerum
Domini dicitur,
haec vidua dum vocatur.

Responsoria.

1. Elisabeth regina
Ungarorum stirpe suprema
Pauperes amando,
pauperum lues lavando,
Caput et pedes,
cum Christo ut esset heres;
V. Beata, quae texit,
pauperum membra dilexit.
2. Elisabeth [sancta],
miserorum via recta,
Leprosos mundas,
precamur, ut oleum fundas
De pectore sacro,
Christo ut iungas sponso,
Quos et Leviathan
depressit cum malo Dathan,
V. Et vinxit luto,
mundo texit scuto.
3. Elisabeth pia,
ut filium planxit Maria,
Maritum carum
plorat ad regem regum,
Obsequio suorum
clericorum ac laicorum
Exsequias parat,
virum ut carum deploret,
V. Milite facto
signoque crucis signato.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vestitu deaurato
stetit Christo a dextris,
Virtutum flore
adornata cum iustis.
2. Suum tabernaculum
Deus sanctificabat,
Elisabeth reginam
ex Ungaris dum vocabat.
3. Fundamentum pauperum,
caecorum et miserorum,
Haec (bene) erexit montem,
Sion cum dilexit fundamenta.

Responsoria.

1. Elisabeth, tu rosa
inter spinas formosa.
Caecorum lumen
mortuorumque solamen,
Leprosos mundas
et labe tactos ut undas
Puros facis,
oscularis quos osculo pacis,
Et saniem radis,
ulcera dum pauperis lavas,
V. Ad te cuncti clamant,
Christum qui pure amant.
2. Elisabeth signis,
miraculis fide dignis
Reginas praecellit,
cunctorum morbos pellit,
Pauperem Christum
opere bono secuta,
Debiles sanando,
debilia membra curando,

V. Lumen tu caeco
membra reddis misere nato.
3. Elisabeth, vernalis
flos, tu dicere talis,
[Pauperum] catervas
Christo iungis ut lucernas,
A scabie mundatos,
ut rosas illuminatos
V. Ad sponsi hortum
Christique ducis [ad] portum.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Hostia haec tulit
atria regis iutrando,
Dominum adorat
sponsum suum vocando.
2. Insulae, terrae,
maris in hisque degentes
De caligine nubis
trahit et umbra mortis.
3. Dominus recordatur
misericordiae et veritatis
Domui Israel,
pauperum misere natis.

Responsoria.

1. Elisabeth speciosa,
inter spinas rubens rosa,
Humillima stella,
pauperis misera cella,
Nos a procella
mundi salva et hostis tela,
Ut iubilemus,
tecum Dominum collaudemus
V. Cithara et choro,
cordis et organi sono.
2. Elisabeth praeclara
regem Salomonem ut Saba
Quaeris in decore,
viduarum iuncta honore,
Fructu cumulata
regi supremo sociata,
Cum filiis plaudis,
tecum quos sedere gaudes,
V. Ut altera Sara
laetaris progenie cara.
3. Elisabeth Aman
in patibulo suspendit,
Caput Holoferni
de collo laeta extendit,
Sic liberavit
Israel et pauperes pavit
In patris regno
suos secum collocando,
V. De carcere mortis
duc tuos et malae cohortis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Induit decore
Deus Elisabeth honore,
Cum Christo regnat,
qui regna caelica donat.
2. Voces aquarum,
fluctus et undae, viduarum,
Haec sic sanavit,
Christum dum sponsum vocavit.
3. Adipis pinguedo,
favus et mellis dulcedo
Animas replevit,
dolores pauperum delevit.
4. Terra Ungarorum,
fontes et flumina morum
Deum benedicebant
in caelis, qui cuncta guberuat.
5. Dominum de caelis
collaudet omnis fidelis
In tubae sono,
tympano, chordis et organo.

Ad Benedictus.

A. Elisabeth fidelis,
ora pro nobis in caelis
Christum, regem [regum]
sponsum vultuque decorum,
Qui te hic elegit,
ex milibus dum coegit,

Carnis [domans] iura
tui magistri sub virga,
Pro nobis ora,
Elisabeth noctis aurora,
Ut solem iustitiae
videamus et tuam prolem.

Ad Horas.

Ad Primam.

A. Elisabeth rigando
hortum pulchrum plantavit,
Pupillos pascendo,
quos crudelis hostis stravit.

Ad Tertiam.

A. Dormientes excitat
Elisabeth illuminando,
Fide errantes
ad Deum ore clamantes.

Ad Sextam.

A. Consilio manuum
lanam et linum quaerendo,
Sic ivit pauperes
de stercore vocando.

Ad Nonam.

A. Agrum . . .
emit pro pauperum cura,
Miseris et leprosis
vera sepultura.

In 2. Vesperis.

Antiphonae.

1. Aedificat fidem,
Elisabeth cum Dominus beavit
Manuum labore
et hanc reperit sine sorde.

2. Haec vitis abundans
in latere domus suae,
Filios informans,
olivarum ut essent novelli.

3. Saepe expugnabat
iuventus [eam], quam domabat,
Ne peccatores
fabricarent dorsum eius.

4. De fundo clamabant
pauperes, qui eam vocabant,
Pie exaudiendo,
ad sponsum secum ducendo.

5. Non exaltatum
cor eius nec elevatum,
Humiliter sentiebat
Christumque pie colebat.

Ad Magnificat.

A. Elisabeth decora
fulges in caelis aurora,
Vestem pauperum
consuisti et miserorum,
Pietatis signis
prodigiis et portentis,
Ad te clamant,
Christum qui pie amant,
Quos de profundo
maris elevasti fundo,
Nunc tecum loca,
Christum [sponsum] tuum
voca.

Officia ms. saec. 15. Cod. Sangallen. 415. — In 1. Vesp. **A** 2, 3 et laude viduitatis. — **A** 2, 4 in gratiae rexit. — **A** 5, 2 sq. progenie stirps haec. — **R**, 3 propria carnis. — Ad Magn. **A**, 1 Gaude filia. — In 1. Noct. **A** 1, 4 Elisabeth dum. — **A** 2, 1 Gloriam tibi. — **R** 2, 10 fehlen Silben. — In 2. Noct. **A** 2, 1 Tuum tabernaculum. — **R** 1, 5 Leprosas. — **R** 1, 7 Lies Puros hos facis oder Purosque facis? — In 3. Noct. **R** 2, 2 regem solamen ut Saba. — **R** 3, 1 sq. in patibulo Aman. — **R** 3, 8 secum locando. — In Laud. **A** 1, 4 coelica regna. — **A** 2, 4 dum fehlt. — **A** 5, 2 laudet omnis. — Ad Bened. **A**, 5 Quem hic elegit. — Ibid. 8 sua magistri. — Ibid 12 Lies suam prolem? — Ad Sextam **A**, 2 et linum plectendo; vgl. Prov. 31, 13. In 2. Vesp. ad Magn. **A**, 2 fulget. — Ibid. 4 consuit. — Zu diesem Officium finden sich in

derselben Quelle drei Hymnen: In 1. Vesp.: Plaude, mater ecclesia, Nova frequentans gaudia; ad Noct.: Lucis creator optime, Qui Elisabeth progenie; ad Laud.: Elisabeth regina, pauperum, Omnium salutis vena. Ist das Officium (sein sollende Hexameter?) in schrecklichem Zustande, so die Hymnen in noch viel schrecklicherem.

94. De sancto Elisaeo.

In 1. Vesperis.

R. O quam felix religio,
Auctore freta gemino!
Helias prior praesidet,
Post Helisaeus residet,
Ex utriusque carmine
Patrona gaudet virgine,
V. Hanc prophetatam primitus
Prosequitur iam comminus
Carmelitarum cuneus.

Ad Magnificat.

A. Terrae sulcos
dum rimans aperit,
Hunc pallium
vocantis operit,
Tunc aratrum
cum bobus abicit
Et homines
arare didicit,
Ut Petrus post
piscare meruit,
Quando navem
cum reti renuit.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Dominus admirabilis
In sanctis suis colitur,
Quorum processus nobilis
Cum laudibus recolitur.

2. Enarrant caeli gloriam
Prophetici sermones,
Nam fidei sententiam
Docent Dei praecones.

3. Signis atque miraculis
Probat Helisaeus,
Quod caeli, terrae pariter
Dominus sit Deus.

Responsoria.

1. Magistrum sequitur
sacer discipulus,
Aranti provenit
gratis manipulus,
Fervore cursitat
ad currum igneum,
Sic constans comparat
duplicem spiritum,
V. Amplexus pallium
aurigam invocat,
Sentit propitium,
dantem magnificat.

2. Dilectus Domino
reportat pallium,
Qui tactu gemino
desiccat alveum,
In signum ordinis
chlamys induitur
Et virtus numinis
hoc miro proditur;
V. Gaudet religio
patremque sequitur,
Exemplo praevio
cuius instruitur.

3. Hic sanctus variis
usus sententiis
Nunc perdit perfidos
nunc parcit miseris,
Quem ursi vindicant
suis iniuriis
Nec victum tolerant
fore conviciis;
V. Sic multifariis
claret indiciis,
Quod sit hierarchicis
fretus officiis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pro patre proles nascitur
Et princeps constituitur,
Dum Helisaeus Heliae
Succedit in regimine.

2. Deus nostrum refugium,
Laus, virtus, vita, gaudium,
Helisaei supplicibus
Nobis succurre precibus.

3. De te dicta gloriosa,
Carmeli collegium,
Tua probant speciosa
Fundamenta montium.

Responsoria.

1. Torrens exundat subito,
Rigatur tellus fluvio,
Lecytus fluit oleo,
Vasa replentur liquido;
V. Miranda augmentatio
Non arte vel ingenio,
Sed solo fit imperio.

2. Vitis pestiferae
venenum inficit,
Mixta farinula
dulcorem efficit,
Virtus prophetica
panes multiplicat,
Defunctum puerum
prece vivificat;
V. O quam praecipuis
effulget meritis,
Qui sic communicat
vivis et mortuis.

3. Leprae contagium
Iordanis abluit,
Sed poenam Giezi
propheta statuit,
Naturae gravitas
in ferro vincitur
Et sancti pietas
in hoste cernitur;
V. Ecce, nec odium
nec favor geritur,
Cum damnans famulum
hosti compatitur.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vox sonet, votum iubilet
hymnis Deo datis,
Prophetarum oraculis
iam praenuntiatis.

2. Laetentur in ecclesia
doctores summi Dei,
Nam vident omnes populi
gloriam Helisaei.

3. Det novum Deo canticum
chorus iubilaeus,
Cui persolvit spiritum
sanctus Helisaeus.

Responsoria.

1. Fecundat viduam
Helias sterilem.
Ad vitam suscitat
natum emortuum;
Sacer Helisaeus
lepram horribilem
Tollit cum ulcere
per aquae lavacrum;
V. Neuter gentilium
contemnit populum,
Ille Sidonium,
hic curat Syrium.

2. O prophetarum flos,
destructor scelerum,
Regum fiducia,
levamen pauperum!
Tu sanas morbidos,
das vitam mortuis,
Totus virtutibus
splendens mirificis;
V. Te laudant opera
divini numinis,
Qui vivis caelitus
nec morte vinceris.

3. Fulget ecclesia
novis miraculis,
Subportant aera
descensum poderis,
Expers qui vixerat
terreni sceleris,
Caelis adproximat
in signum foederis;
V. Praecelsi meriti
propheta nobilis,
Defensa famulos,
o praeco virginis.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Regnum decoris Domini
Militibus stipatur,
Cuius plenis stipendiis
Hic sanctus gloriatur.

2. Agminibus caelestium
Est annus iubilaeus,
Quo nunc et in perpetuum
Congaudet Helisaeus.

3. Lucis aeternae vigiles
Fruuntur Dei facie
Prophetae, legis consules,
Quam vident clara specie.

4. Iste sanctus benedictus
Cum beatis est assumptus,
Decor eius est amictus
Et laus Dei plenus ructus.

5. Iuvenes et virgines,
collaudate Deum,
Qui ad caelos transtulit
sanctum Helisaeum.

Ad Benedictus.

A. Benedictus rex caelestis,
prophetarum Dominus,
Qui per os sanctorum eius
dat legem fidelibus,
Viam pacis et salutis
praemonstrans operibus,
Ipse nos in caelo sistat
Helisaei precibus.

In 2. Vesperis.

Ad Matutinum.

A. Salve, praeclarissimae
Virtutis portentum,
Vitae sincerissimae
Patens documentum,
Lucens gemma confessorum,
Praecessor apostolorum,
Virginum et martyrum.
Exemplar egregium,
O Helisaee,
propheta nobilis,
Carmelitarum
pater amabilis,
Christo conre-
gnans in caelestibus,
Confer opem
tuis sequacibus.

Brev. ms. Carmelit. Hibern. anni 1489. Cod. Coll. ss. Trinitatis Dublinen. B 3. 10. A. — Brev. ms. Carmelit. Ierosolymit saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 187. B. — Brev. ms. S. Sepulchri. saec. 15. Cod. Parmen. Palat. 215. C. — In 1. Vesp. **R**, 7 prophetam ABC. — Ibid. 9 Carmelitarum innuens B. — Ad Magn. **A**, 2 dum ruinis aperit B. — Ibid. 6 abicitur B. — In 1. Noct. **A** 1, 4 colitur B. — **A** 2, 1 caeli fehlt B. — **A** 2, 2 prophetia A. — **A** 2, 4 Docens B. — **R** 1, 5 crucitat A. — **R** 1, 7 Sic constatis C. — **R** 1, 8 binensium A, bernitensum B, vinensem C; vgl. 4. Reg 2, 9. — **R** 2, 10 patrem quem A. — **R** 3, 4 nunc prosit A. — **R** 3, 7 victum tollant B. — **R** 3, 9 suis conviciis B. — **R** 3, 11 Quod sic herarelitant B. — In 2. Noct. **R** 2, 8 prece fehlt B. — **R** 3, 9 Ecce, nunc ordium B. — **R** 3, 11 Nec damnans B. — **R** 3, 12 fehlt B. — In 3. Noct. **A** 1, 1 vocum C. — **A** 1, 2 Deo dantis C. — **A** 1, 4 pronunciatus B. pronunciantis C. — **A** 3, 2 iubilemus B. — **R** 1, 5 Sacre A, Sanctus BC. — **R** 1, 9 Venter gentilium A, Mentis gentilium B. — **R** 1, 12 Tyrium C, Tyriam B. — **R** 3, 3 aethera BC. — **R** 3, 4 descensit B; ponderis ABC. — **R** 3, 12 o prector B. — In Laud. **A** 1, 3 Cuius praesens C, stipendio B. — **A** 3, 2 facie Dei A. — Ad Bened.

A, 6 demonstrans C, praemonstrans omnibus B. — In 1. Vesp. Ad Magn. A, 11 nunc pater C. — Ibid. 12 Christo regnans in B. — Die zugehörigen Hymnen vgl. Anal. XXIII, 168 sq. und XIX, 125.

95. De sancto Elisaeo.

In 1. Vesperis.

R. Admiranda sanctitas
Ex copia gratiarum
Per fideles recolatur,
Dum gestorum quantitas
Principis prophetarum
Elisaei memoratur,
Nam in vita et in morte
Dei claret aequa sorte
Signis et miraculis.
V. Sunamitis filium
Vivum suscitavit
Et cadaver mortuum
Defunctus recreavit.

Ad Magnificat.

A. Magna fecit potens Deus,
Dum vir sanctus Elisaeus
Per Eliam Carmelitam
Sanctiorem sumpsit vitam;
De agro namque vocatus
Et parentibus osculatis
Notisque suis cibatis
Prophetam surgens est secutus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus regem regum
Laudum cum praeconio,
Qui locavit Elisaeum
In caelorum solio.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Elisaeus, vir beatus,
Sapienter est imbutus,
Legem Dei meditatus
Et eam est prosecutus.
2. Syriae regis servitores
Elisaeum quaesierunt
Et necis eius minatores
Adversus eum convenerunt.
3. Sub fide Dei promissorum
Ad Dominum exclamavit,
Et a derisu puerorum
Prophetam vindicavit.

Responsoria.

1. Elias pater inclitus
Ascendit paradisum
Angelica vectura,
Eius replevit spiritus
Elisaeum provisum
Duplici mensura;
V. Animus assidue
Ignei ardoris
Nos sublevet gratuite
Vehiculo amoris.
2. Eliae chlamys candidus
Per flammas ignis iacitur
Et Elisaeus avidus
Captandum hunc adtrahitur
Explicite obfuscatum.
V. Iordanis flumen caeditur,
Per pallium disiungitur,
Iter pandens cernitur
Et sic per tutum graditur.
3 Elisaee Carmelita,
Vestis tua dispartita
Fratres tuos ornet ita
Virtuose, ut cum vita
Heredes sint aetherei,
V. Pallium latum per Eliam,
Elisaeo per aurigam
Igneum quod transfertur.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Filii hominum, hoc scitote,
Quia Dominus sanctum
suum mirificavit

Et promittens hoc devote,
De olla mortem quod fugavit.

2. Auribus, pater, percipe
Verba clamoris mei,
Ut gratiora prospere
In me duplentur Dei.

3. Nomen tuum admirabile
Elisaeo demonstrasti,
Contra salutem Syriae
Sagitta dum pugnasti.

Responsoria.

1. Naman Syrus cum peculio
Elisaeum sanctum adiit,
A lepra eum ut mundaret,
Dei doctus ex consilio
Propheta dona respuit,
Gratis eum ut curaret;
V. Giezi Syri munus capit,
Hoc vir sanctus intus sapit
Et Giezi virus inficit.

2. Virtutem crucis gloriosae
Pater sanctus figurabat,
Defuncto matris dolorosae
Nato vitam impetrabat,
Membra membris applicuit,
Puer septies oscitavit;
V. Adoravit Dominum
Ostium praecludendo,
Circuivit sed puerum
Calorem infundendo.

3. Elisaee, pater bone,
Confer nobis in agone
Tempus salutiferum,
Ut in peccati regione
Salvi malo a praedone,
Qui tenemur nexu scelerum,
V. Post passam famem gratiae
Fruamur fruge veniae.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. In monte sancto requiescet
Innocens adprobatus,
Et laus eius invalescet,
Dum gens per eum est cibatus.

2. Dulcis benedictio
Viro Dei fuit data
Et vita sine termino
Nunc sibi est adlata.

3. Homo Dei concupivit
Vultum Dei contemplandum,
Et Deus eum insignivit
Infectas aquas ad sanandum.

Responsoria.

1. Prophetarum filii,
Fratres de Carmelo,
Candorem fertis lilii
In terra et in caelo,
Nam Elisaei pallium
In vos est translatum,
Ut castum sit obsequium
Vestrum et humiliatum;
V. Oleum auctum viduae
Per sanctum Elisaeum
Est opus pium sedule
Effectum propter Deum.

2. O Carmeli princeps sancte,
Dux religionis tantae,
Vitam celsam, quam duxisti
In nobis ora hanc firmari,
V. Veram, mundam, abdicatam,
Iustam vitam adprobatam.

3. Admiranda sanctitas
Ex copia gratiarum
Per fideles recolatur,
Dum gestorum quantitas
Principis prophetarum
Elisaei memoratur,
Nam in vita et in morte
Dei claret aequa sorte
Signis et miraculis;
V. Sunamitis filium
Vivum suscitavit
Et cadaver mortuum
Defunctus recreavit.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Deus carum filium
Induit decore.
Cui patris pallium
Misit ex amore.

2. Per Elisaei festum
Iubilate Domino,
Ut omne cor maestum
Consoletur gaudio.

3. Prope torrentem fluminis
In terra deserta
Perambulat vi numinis
Gloria cum aperta.

4. In opere deifico
Per saeculorum saecula
Ex ore prophetico
Benedicunt Deum singula.

5. Magna virtus Dei
Per spiritum Elisaei
Mira operatur,
In quibus honoratur.

Ad Benedictus.

A. Pater, tu propheta
Altissimi vocaris,
Plurima secreta
Pandisse praedicaris,
Duc nos ad Dei faciem
Hostiumque verte aciem,
Da gratiae scientiam,
Peccati indulgentiam.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Carmeli cultor, Elisaee,
Nos virtutum veste tege,
Doce clare nos in lege
Et in fide stantes rege,
Transfer nos ad pacis montem,
Ut gustemus vitae fontem.

Brev. ms. Carmeli Abenspergani anni 1482. Clm. Monacen. 2502. — In 2. Noct. **A** 1, 3 promitte. — **R** 2, 9 sed ad puerum. — In 1. Vesp. et Noct. Hymnus: Hic pius; nur diese zwei Worte finden sich. Sie sollen wahrscheinlich die zweite Strophe des Hymnus Iste confessor bezeichnen.

96. De sancto Erasmo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Laudibus magnificis
Celebret ecclesia
Erasmi pontificis
Votiva sollemnia.

2. A primaevo tempore
Casto vigens corpore,
Gratis micans moribus
Virtutumque floribus.

3. Vir praeclarae sanctitatis
Pulcher erat facie
Geminaeque venustatis
Templum decens gratiae.

4. Ornat floridam aetatem
Decus innocentiae,
Omnem fugat vanitatem
Spiritus prudentiae.

5. Linguam habuit disertam,
Faciem amabilem
Et scientiam expertam,
Vitam venerabilem.

R. Erasmus, Deo dilectus,
Christi plebi placuit
Et in praesulem electus
Talem se exhibuit,
Quod gratuitis perfectus
Velut sol emicuit.

V. Verbo fulsit et exemplo
Coruscans ut lucifer
Et columna Dei templo
Crucis signi signifer.

Ad Magnificat.

A. Christe Iesu, pastor bone,
Legis lator et patrone,
Patris sapientia,
A quo strenuum pastorem
Et idoneum doctorem
Accepit ecclesia,
Erasmum, qui profligatus
Pro commissis ovibus
Nostros excuset reatus
Suis sacris precibus.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Corde, voce iubilantes
Christo demus gloriam
Et Erasmi venerantes
Martyris victoriam.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Erasmi pontificis
Agentes memoriam,
Agonis multiplicis
Laudemus victoriam.
2. Iussu Diocletiani
Ferbuit malitia,
Puniuntur christiani
Crudeli saevitia.
3. Hanc Erasmus ut audivit
Pressuram fidelium,
Solitudinem adivit
Germinans ut lilium.

Responsoria.

1. Dum intrat solitudinem,
Omnem sollicitudinem
In Dominum iactavit,
Vacans Deo purius,
Quem ob hoc uberius
Christus visitavit;
V. Visitant hunc angeli
Colloquentes praesuli,
Ibi bene sibi.
2. Septem annis latuit
In arbustis Libani
Praesul venerandus,
Sed latens innotuit
In virtute Domini
Signis admirandus,
V. Sed nec fame deficit,
Cui Christus sufficit,
Quem per corvum pascit.
3. O virum venerabilem,
Magnum et mirabilem,
Pedum cuius vestigia
Ferarum collegia
Sequuntur et oboediunt
Cellamque custodiunt.
V. Iumentisque hominibus
In necessitatibus
Subvenit precatibus.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Vox de caelo sonuit
Et Erasmum monuit
Ad urbem redire
Certamen subire.
2. Intrans urbem daemones
Pellit ab obsessis,
Aegros curat homines,
Subvenit oppressis.
3. Viro Dei praedicante
Et virtutes operante
Multa turba Domino
Adcrevit brevi termino.

Responsoria.

1. Dum Caesar haec percepit,
Sanctum vinci praecepit,
A quo quaerens incepit:
Dic nobis, quis es, quid credis?
Vana docens, legi nocens
Fallax incedis.
V. Erasmus: in publico,
Ait, Christum praedico,
Cui plebem dedico.
2. Rex sacrilegus fidelem
Iussit caedi praesulem
Plumbatis post haec fustibus
Pro gratiosis actibus;
V. Plebs miratur, quod illaesus
Martyr mansit dire caesus.
3. Cerae, picis et sulphuris,
Olei liquore
Ferventi corpus martyris
Perfusum velut rore
Vigebat cum decore;
V. Laudat nomen Domini
Plebs devota, fide mota
Sancto credens homini.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Terrae motu concutitur
Urbis universitas,
Sed tot signis abutitur
Tyranni perversitas.

2. Ascribens arti magicae,
Non arti deificae,
Quae fiunt mirifice
In sancto pontifice.

3. Quem vinctum in carcere
Magno ferri pondere
Eduxit per angelum
Christus dilectum famulum.

Responsoria.

1. Mox ad urbem Lucridam
Caelitus delatus,
Plebis ad spem lucidam
Puer suscitatus,
Gentes stupent et mirantur,
Quater dena milia
Credunt, baptizantur,
V. Probat signis et doctrinis
Christi fidem praesul idem.

2. Cum audisset turbidus
Hoc Maximianus,
In Erasmum rabidus
Hostis misit manus,
Diversis suppliciis
Torquet hunc vesanus,
V. Occidens de familia
Christi ter dena milia.

3. O pastor egregie,
Doctor legis, agmen regis
Miles et militiae,
Christi signifer fidelis
Caelestibus nos civibus
Iungi fac in caelis.
V. Memor esto pauperum
Paterna clementia,
Ut tuorum operum
Probant beneficia.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Dum Iovis simulacrum
Erasmus evertit,
Ad baptismi lavacrum
Plurimos convertit.

2. Novis hunc suppliciis
Tyrannus invasit,
Martyr maleficiis
Invictus evasit.

3. Hunc ignita tunica
Aerea vestivit,
Sed virtute caelica
Flamma vim nescivit.

4. Pix, resina, cera, stagnum
Ignito cum oleo
Refrigerium dant magnum,
Non aestum in dolio.

5. Clauditur ergastulo
Tandem vir fidelis,
Solvitur a vinculo
Virtute de caelis.

Ad Benedictus.

A. Hoc dignum in miraculis,
Quod bis ereptus vinculis
Cursum non explevit,
Sed ductus in Campaniam
Urbem adiit Formianam
Evocatus caelitus
Eius gaudens spiritus
In pace quievit.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. O beatum pontificem,
Virtutum opificem,
Quo daemones fugantur,
Infirmi curantur,
Idola cassantur,

Mors fugit, tot milia
Ad caeli sedilia
Triumphali gloria
Praemissa laetantur.

Alia Antiphona.

A. O gloria pontificum,
O sidus mirificum,
O fidei lucerna,
Nos fide paterna
Domino commenda
Et consueta gratia
Post vitae solatia
Transfer ad palatia
Semper possidenda.

Brev. ms. Pataviense saec. 15. Cod. Gottwicen. 436. A. — Brev. ms. Pataviense saec. 14. Cod. Zwethalen. 140. B. — Brev. ms. Pataviense saec. 14. Cod. Palat. Vindobonen. 1891. C. — Brev. ms. Pataviense saec. 15. Clm. Monacen. 11047. D. — Brev. ms. Monacense saec. 15. Clm. Monacen. 23275. E. — In 1. Vesp. Super Ps. nur eine (prosaische) Antiphon E. — R, 5 gratuitis praefectus D, gratuitatis perfectus B. — In 1. Noct. A 2, 2 Fremuit B: Superbivit C. — R 1, 1 Cum AB. — R 1, 3 Domino C. — R 1, 9 fehlt C. — R 2, 9 fehlt C. — R 3, 9 Subveni B. — In 2. Noct. A 1, 4 Et certamen AB. — R 1, 1 haec fehlt BC. — R 1, 2 Sanctum Erasmum vinci A. — R 3, 1 Per picis et B. — R 3, 4 velut in rore BC. — R 1, 1 Lugridam C. — R 1, 5 admirantur B. — In 3. Noct. R 3, 2 Doctor legis agonis B; legis agonia regiae C. — In Laud. ad Bened. A, 5 Ferimanam C. — In 2. Vesp. ad Magn. A 1 fehlt A; A 2 fehlt AB. — Zum Officium kommen vor die Hymnen: Haec dies acceptabilis A (Anal. IV, 136); Deus tuorum militum BC (de Communi); O pater alme, clemens atque pie D (Anal. IV, 134).

97. De sancto Erasmo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Martyris egregii
festum celebremus Erasmi,
Qui dominum caeli
dilexit mente fideli.

2. Praesul hic insano
turbante Diocletiano
Ecclesiam vasta
silvarum lustrat opaca.

3. Quem, dum devitat
homines mundumque refutat,
Caelicolae nitidi
solantur famine miti.

4. Escas iste pias
capit a corvis ut Elias,
Subvenit aegrotis,
disparet callidus hostis.

5. Mente sibi notas
salvatori canit odas,
Sic ope divina
donante fit hostia viva.

Ad Magnificat.

A. O recolenda dies,
sollemnis et inclita fulges,
Qua praesul sanctus
ad Christum scandit Erasmus,
Cuius amore feras
assumpsit corpore poenas,
Vulnera per cuius
pereat vitae scelus huius.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Omnes ecclesiae,
sponso iubilare venite,
Martyrio sanctum
qui glorificavit Erasmum.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Principe Romano
regnante Diocletiano

Virginis ecclesiae
pueri mactantur ubique.

2. Hic princeps mortis
ab Erasmo condicionis
Exquirens titulum
dare tura diis iubet illum.

3. Adfatur regem:
Christi non abnego legem
Tura nec, ut faris,
dabo diis, quibus assimilaris.

Responsoria.

1. Laudemus Dominum
In gloriosi martyris
Erasmi passione,
Qui pro fide catholica
Immania
Pertulit supplicia,
Unde factus est Deo hostia
Viva in sacrificium
Laudis perpetuae;

V. *Amavit Christum in vita sua, imitatus est eum in morte.*

2. Plangit Anastasius
dilectae funera prolis,
Quam gerit ad tumbam,
sed Erasmus suscitat illam,

V. Dicens festine:
pro Christi nomine surge.

3. Suscitato mortuo
Ingens fit exsultatio,
Baptizatur continuo
Anastasius cum populo,

V. Praesul cum gaudio
Grates agit Domino.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Auditis sancti
responsis Caesar Erasmi
Plumbatis caedi
iubet hunc et dilacerari.

2. Christo devotas
canit inter verbera laudes
Martyr et nefandi
contemnit iussa tyranni.

3. Undique firmatum
cognoscens Caesar Erasmum
Blando sermone
spem vult auferre coronae.

Responsoria.

1. Virtutes sancti
dum Maximianus Erasmi
Comperit, exquirit,
fidei quae secta sibi sit,

V. Aspicit astra tacens
sanctus, Caesar quoque frendens.

2. Caesar duxit virum
sanctum ad dei sui fanum,
Sancto daemon viso
ruit illius simulacrum,

V. Vastat plebem draco,
qui prodiit e simulacro.

3. Clauditur in tenebris
sub pondere carceris almus,
Sed venit almificum
vir splendens solvere vinctum,

V. Vox ruit e caelis:
per te sum glorificatus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Caesar conversos
perimi iubet ense fideles,
Qui dicunt sancto:
commenda nos pie Christo.

2. Martyr ait: vitae
portas fidenter adite,
Ad vos nam veniam
Domino mihi dante coronam.

3. Ordo triumphantes
caelestis suscipit omnes,
Auctori dulces
cantat per sidera laudes.

Responsoria.

1. Audivit martyr Dei
Vocem in summo caeli:
Erasme, veni,

Ut cum fratribus tuis
Recipias mercedem
Laboris tui;
V. Innotuit
de caelo Dominus,
Et altissimus
dedit vocem suam.

2. Martyr et antistes
deserens orbicolentes
Transiit in pace,
caeli coronatur in arce,
V. Legitime pugnans
et victor ab hoste triumphans.

3. O decor ecclesiae,
Pro Iesu Christi nomine
Roseo tinctus sanguine,
Consolare nos hodie,
Sancte Erasme,
Felicitatem
Utriusque vitae
Nobis deposce,
V. Intercede
pro nobis ad Dominum,
Gloriose
Dei amice,
Ut tua prece
ab omni mundemur crimine.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Gloriosi veneremur
Passionem martyris,
Ut pro suis supplicibus
Deum oret, quaesumus.

2. Diversa perpessum supplicia
Consolatur divina gratia
Dicens: per te in caelo
Glorificatus sum et in mundo.

3. Intuens in
caelum vir inclitus
Vidit coronam
sibi mitti caelitus,
Orat: tecum sit,
Christe, meus spiritus.

4. Caeli patente ianua
Ingreditur felix anima
Orans: da mercedem gloriae
Me petentibus, Domine.

5. Te petentes
in tua festivitate
Ab omni
libera necessitate,
Sancte Erasme,
caelestem opem nobis posce.

Ad Benedictus.

A. Qui illuxit
nobis in tenebris,
Per merita
Erasmi martyris
Dirigat pedes
nostros in viam pacis,
Ipsum ergo laudemus
Dicentes: Benedictus
Dominus Deus.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Magnificent
virginis filium
Omnes filii hominum,
Qui exaltavit humilem
Sanctum Erasmum praesulem;
Ergo, martyr gloriose,
Assistentes tuis laudibus
In aeternum
iunge caelestibus.

Brev. Misnense imp. s. l. 1483 A. — Brev. Wratislaviense imp. s. l. et a. B. — Viaticus Wratislaviensis imp. Venetiis 1501. C. — Brev. Misnense imp. Lipsiae (?) 1517. D. — In 1. Vesp. Super Ps. nur eine Antiphon, die erste ABC. — Ad Magn. **A**, 2 fulgens D. — In 1. Noct. **R** 2, 1 Planxit D. — **R** 3, 4 cum filio D. — In 2. Noct. **R** 2, 4 simulacrum continuo CD.— In 3. Noct. **R** 2, 2 hodie deserens BCD; orbiculantes D.

98. De sancto Erasmo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. O Sion eximia,
Personando plaude,
Erasmi sollemnia
Digna colens laude.
2. O Erasme, fidei
Pugil, per te gentes
Meruerunt provehi
Ad caelos gaudentes.
3. O qui pellis citharam
Das poenis plagarum,
Sic evertens Sisaram,
Ducem tenebrarum.
4. O martyr et pontifex,
Obsta multa prece,
Ne nos vilis artifex
Culpae fuscet faece.
5. O decus ecclesiae,
O norma virtutis,
Duc nos via gratiae
Ad fora salutis.

R. Ecce, granum moritur
Terrae clausum palea,
Erasmus occidiur
Regis quando framea,
Agalma ingreditur
Mira fulgens trabea;
V. Vitae fretus galea
Mortis trucem fugat ducem
Fidei de vinea.

Ad Magnificat.

A. O mater ecclesia
Omni digna gloria,
Gaude iubilando,
Erasmi praeconium
Praesulis eximium
Canens exorando,
Soluti a reatu
Sanctis cum christicolis
Iungamur caelicolis
Ut eius precatu.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Adoremus Dominum,
Deum, patrem luminum,
Ut salvemur meritis
Erasmi antistitis.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Fructum suo tempore
Erasmus donavit,
Talentum cum foenore
Quando reportavit.
2. Quare cum insania
Fremuerunt gentes
Verba per inania
In sanctum rigentes?
3. Dominus mirificat
Sanctum suum hodie,
Quem polo laetificat
Laurea cum gloriae.

Responsoria.

1. Cum a Diocletiano,
Imperatore profano,
Damnatur ecclesia,
In fide Christi constantes
Idolis non immolantes
Sufferunt supplicia;
V. Deo grates referunt
Christiani mente sani
Tura cordis offerunt.
2. Eremi silentia
A Deo vocatus
Expetit industria
Erasmus beatus,
Ubi corvo gerulo
Ut Elias epulo
Degens est cibatus;
V. Spretis mundi noxiis
Angelorum beatorum
Fruitur alloquiis.

3. Tribunali sistitur,
Iurgiis discutitur,
Minis fatigatur,
Offerat ut idolis
Tura, verbis subdolis
Praesul invitatur;
V. Cum sprevisset idola,
Multa fuste, sed non iuste,
Pravis fit parabola.

3. Offero non sculptili
Neque Deo fictili,
Verum Christo soli,
Auras maculantia
Spargere eloquia
Tu, rex, ergo noli;
V. Colere sculptilia
Non est aptus, nisi captus
Caecae mentis furia.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Domine, non habitat
Iuxta te malignus,
Sed, qui se nobilitat
Ut Erasmus dignus.
2. Omnia sub pedibus
Eius subiecisti,
Iesu, caeli civibus
Eum tu iunxisti.
3. Sicut passer volitat
Erasmus ad montem,
Virtute se excitat
Vitae gustans fontem.

Responsoria.

1. Erasmus, vir lepidus,
Effatur intrepidus,
Omnis expers mali,
Fideles aedificat,
Christum Iesum praedicat
Astans tribunali;
V. Vera fides rutilat,
Hic athleta mente laeta
Deo laudes iubilat.
2. Carcere includitur,
Multo ferro premitur
Rege ordinante,
A ferro et carcere
Solvebatur propere
Angelo praestante.
V. Dei transit gratia
Mox pusillam in favillam
Ferrea materia.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Operans iustitiam
Mali fugit pestem,
Erasmus in patriam
Graditur caelestem.
2. Erasmi in capite,
Deus gloriose,
Coronam de lapide
Ponis pretiose.
3. Portas vestras tollite,
Principes superni,
Militem suscipite
Iam regis aeterni.

Responsoria.

1. Erasmus cum rege Iovis
Templum intrat bellis novis
Gemitu et precibus,
Idolum mox fractum ruit
Et incineratum fuit
Gentibus stupentibus,
V. Ex quo statim proruit
Draco dirus, spargens virus
Viros multos necuit.
2. Confregere subdola
Mox gentiles idola
Miris visis tantis,
Et baptismi gratia
Currunt ad praesidia
Summi dominantis;
V. Exsultat ecclesia,
Dum gementes volant gentes
Ad Dei obsequia.

3. Tyranni imperio
Cum Erasmus gladio
Triumphans finitur,
Omni dignus gloria
In caelesti curia
Gaudio potitur;
V. Victrix ridet veritas,
Dum confusa et delusa
Regis luget feritas.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Regnans Deus induit
Erasmum decore,
Nam in mundo claruit
Praesulis honore.

2. Cum Erasmo Domino
Una iubilemus,
Caeli sancti termino
Regnum ut intremus.

3. Sprevit transitoriam
Erasmus salutem,
Ut videret gloriam
Dei et virtutem.

4. Hic cum sacerdotibus
Sanctis benedicit
Deum in caelestibus,
Mundum quia vicit.

5. Erasmum divinitus
Foventem in zelis
Omnis laudet spiritus
Dominum de caelis.

Ad Benedictus.

A. Cordis nostri lora spasmi
Iesu, dulcis Domine,
Sacri dissolve Erasmi
Devoto oramine,
Ne ut noctuae erremus
Mortis in caligine,
Sed ut aquilae ovemus
Vitae verae lumine.

Per Horas.

Ad Primam.

A. Morti se impendit iste
Pro amore tuo, Christe,
Plus quam ad conviviao
Volans ad supplicia.

Ad Tertiam.

A. Erasmus vi rapuit
Caelum dignus Deo,
Poenarum hoc meruit
Insigni trophaeo.

Ad Sextam.

A. De virtute iugiter
Ibat ad virtutem
Erasmus feliciter
Lucrando salutem.

Ad Nonam.

A. Erasmi praesentia
Fructu meritorum
Cumulavit gaudia
Incolis polorum.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Erasmo coniubilant
Astra matutina,
Cuius gesta rutilant
Hora vespertina,
Erasmo sagacitas
Data serpentina
A Deo simplicitas
Est et columbina.
Blandimenta spuria
Erasmus spernendo
Superna palatia
Subit patiendo,
Excedens aromata
Odore virtutis,
Migrat ad agalmata
Aeternae salutis.

Brev. ms. Cracoviense saec. 15. Cod. Capit. Cracovien. 20. A. — Cod. Gottwicen. 202. saec. 15. B. — Brev. ms. S. Zenonis saec. 15. Clm. Monacense 16525. C. — In 1. Vesp. hat A sechs **AA**, von denen die erste überzählige, in BC fehlende, lautet:

[O] martyr egregie,
Pugil regis gloriae
Triumphans agone,
Erasme, viriliter
Stabas et feliciter
Spe vitae coronae.

A 1, 1 O fehlt C. — **A** 1, 2 Persolvando A. — **A** 2, 1 O fehlt C; pugil fidei C. — **A** 3, 1 O fehlt C. — **A** 3, 2 Da poenis A; poenis tangis plagarum C. — **A** 3, 3 convertens A, avertis C, Lyseram A, Zisuram C. — **A** 4, 1 O fehlt C. — **A** 4, 3 mille artifex C. — **A** 4, 4 turbet faece C. — **A** 5, 3 viam C. — **A** 5, 4 formam C. — An Stelle des **R** Ecce, granum moritur, das in 2. Vesp. steht, hat A hier das folgende:

R. Vox audita est de caelis
Ad Erasmum tam fidelis:
Christus iubet, ut tu velis
Civitatem ingredi.
Qui surrexit in aurora,
Non neglexit, missae hora(s)
Portas vidit oppidi.
Illi claudi occurrebant
Et obsessi, qui regebant
Vultu tamquam pallidi,
V. Imponebat cui manum,
Claudum vero vel vesanum
Potestate validi.

Ad. Magn. **A**, 4 praeconia A; die ganze **A** prosaisch C. — Invit. 2 Deum fehlt A. — In 1. Noct. **A** 3, 1 Deus mirificat C; Dominus mirificavit B. — **A** 3, 4 Laureatum A. — Von hier ab wird das Officium prosaisch in C. — **R** 2, 4 Beatus Erasmus A. — **R** 2, 9 Funditur A, fungitur B. — **R** 3, 2 Virgis discutitur A. — **A** 3, 3 Nimis A. — **R** 3, 7 Cum pervenisset A. — **R** 3, 8 Multo B. — In 2. Noct. **A** 3, 2 mortem. — **R** 2, 1 In carcerem ducitur A. — **R** 2, 6 Angelo testante A. — **R** 2, 7 gloria A. — **R** 3, 2 futili B. — **R** 3, 3 Vero Deo Christo A. — **R** 3, 6 rex fehlt A. — **R** 3, 8 vere captus A. — **R** 3, 9 Ecce mentis A. — In 3. Noct. **A** 3, 1 Dortas vias tollite A. — **R** 1, 3 Gemituum precibus A. — **R** 1, 6 incurvatum A. — **R** 1, 8 diris spargens vitiis A. — **R** 2, 1 Cum frangere A. — **R** 2, 4 In baptismi A. — **R** 2, 8 gentes fehlt A. — **R** 3, 3 Triumphans fehlt A. — **R** 3, 9 Regis audet A. — In Laud. Ad Bened **A**, 1 lora psalmi A, spalmi B. — Ibid. 5 noctuae Erasmus A. — Ibid. 7 ovemus fehlt A. — Per Horas **AA** fehlen A. — In 2. Vesp. ad Magn. **A** lautet in A:

Magnificent Dominum,
Amatorem hominum,
Omnes mundo corde,
Erasmi supplicibus
Diluamur precibus,
Ut ab omni sorde
Liberemur.

Hymnen: ad Vesp. et Laud.: Erasmi de victoria (Anal. IV, 135) AB; O pater alme, clemens atque pie (Anal. IV, 134) C; ad Laudes: Morti se impendit iste A.

99. De sancto Erasmo.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Gaude, mater ecclesia.
Quae tanti sollemnia
Pontificis recolis,
Qui in hac miseria
Passus est supplicia
More pii martyris.

2. Exenteratus ut assatur
Piscis, sic Maximiano
Martyr totus evisceratur,
Ab hoste fidei profano.

3. Digiti subulis transfiguntur
Martyris fidelis,
Pedicae confoduntur
Iussu regis crudelis.

4. Clamat: Spes orbis unica,
Christe, patris sophia,
Hunc populum sanctifica,
Lux, veritas et via.

5. Spondet mox: Serve fidelis,
In te confidentibus
Dantur mox, quaecunque velis,
Te laude recolentibus.

R. Salve, martyr, nobilis,
Christi testis herilis,
In amore eius stans immobilis,
Victor agminis hostilis,
Erasme, doctor fidei,
Pro nobis vota funde,
Labe mortis sumus rei,
Succurre plebi gemebundae.

V. *Vultus Domini* [*super*] *iustos et aures eius in preces eorum.*

Ad Magnificat.

A. O praesul, evangelicae
Sator veritatis,
Vitae cultor angelicae,
Lucerna sanctitatis,
Qui spernis iussa principum
Propter Christi nomen,
Pro nobis, pater inopum,
Sis dans beatum omen.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Iubilemus Christo regi,
Qui in festo huius diei
Erasmum sanctum sublimavit,
Qui hunc mundum superavit.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Nomen Domini magnificemus,
Pia laude collaudemus,
Quod a tanto sancto viro
Praedicatur more miro.

2. Caeli, Deum collaudate,
Laudes Erasmi exaltate,
Quem sibi Dominus consecravit,
Dum a scaeno mundum lavit.

3. Cordis quidem puritate,
Innocenti pietate
Caesaris ut lutulentum
Spernis aurum et argentum.

Responsoria.

1. Gaude, pater sancte, gaude
Pio Christo et applaude,
Quia gratias tibi tales
Tribuit, ut ferocitates
Vinceres brutorum animalium;

V. Subiecit namque tuis pedibus,
Ut prophetico ore promisit
Dominus.

2. Septem annis a tumultu
Hilari pater sanctus vultu
Libanum conscendit montem
Corporis fugiens mortem,
Tyranni timens iudicem,

V. Qui mortem inferre cupiebat
Illi, qui Christum Deum colebat.

3. Repletur Diocletianus
Ira, furit ut vesanus,

Erasmum fustibus mactari,
Tortores novos ter mutari,
Sed nulla torquent verbera;
V. In dorso eius fabricabant
Peccatores, prolongabant
Iniquitatem criminis.

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Plumbo, pice, cera, igne
Sanctum et perfundunt,
Angeli Dei sed astabant,
Qui tormentum mitigabant.
2. Psalmum Deo dum cantabat,
Christum votis impulsabat:
Mortalia tuorum, Domine,
Dant servorum brutis terrae.
3. Terrae motus invalescit,
Pro quo Caesar pertremescit,
Populi pars perit maxima,
Dum coruscant fulmina.

Responsoria.

1. Furore Caesar inflammatur,
Et vir sanctus incarceratur,
Imponi iubet sexaginta
Corpori ferri pondera
Et carcerem signat annulo,
V. Ne quis potum daret ei,
Sancto Erasmo, viro Dei.
2. Nocte sanctus exclamavit,
Christum, quem amat, invocavit:
Festina, ait, Iesu Christe,
Ne glorietur iudex iste
In servis fidelibus
V. Et dicat genti populorum:
Ubi nunc est Deus eorum?
3. Tu alter es qui pascitur
Elias et reficitur
A corvo in eremo,
Qui mundum fugiens deserit
Et adfatu
solatur angelico.
V. Panis ei
destinatur caelicus,
Quo reficitur
in eremo famelicus.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Liquefacta est ut cera
Ferrum, angelus: sincera
Ope tibi, frater, asto
Teque a poenis custodio.
2. Qui cum gaudio tunc surrexit
Et cum angelo mox perrexit,
In Lucredo civitatem,
Ubi docuit Christi veritatem.
3. Defunctum vivum suscitavit,
Ingenti voce qui clamavit:
Pater, omnes nos erramus,
Vanos deos qui adoramus.

Responsoria.

1. Divino iussu suscitavit
Defunctum natum, quem ploravit
Vir magnus Anastasius,
Dum Erasmus praedicavit
Iesum Christum, quem amavit
Hic martyr eximius,
V. Flexis genibus orabat,
Et Christi nomen invocabat
Dicens: surge propere.
2. Gemit Dei athleta
Mundi pompa spreta,
Dum iubetur a Caesare
Vana idola colere,
Martyris Christi dum aspexit
Faciem, daemon statim exit,
Qui coepit gentem laedere;
Clamat populus: Pastor bone,
Ne pereamus,
salva nos a dracone.
V. Pastor pius ut ignita
Indutus exstat polimita,
Refrigeria
mox angelica sensit.
3. Qui Deo agens gratias
Christo voce magnifica:

Populum hunc sanctifica,
Psallens, in refrigerium,
Christe, per tuum auxilium
V. Ignem et aquam transimus
Et propitiante venimus.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Laudes Deo decantabat,
Pro gente Deum exorabat,
Clamat gens: magnus est Deus,
Quem praedicat
praesul verus Nazareus.

2. Artes magorum operatur,
Caesar populum sic adfatur,
Vota diis exhibete,
Incenso ture confovete.

3. Martyris maxillas contundit
Caesar, dum abiecta non refundit
Erasmus responsa grata,
Fidelis Dei athleta.

4. Benedicite, angeli, Deum,
Qui certantes in agone
. . . . . .
. . . . . .

5. In caelis Deo
Sit gloria cum iubilaeo,
Et pax bonae voluntatis
Sit hominibus renatis.

Ad Benedictus.

A. Hymnum trium decantabat
Puerorum, Christum magnificabat:
Benedictus es in regni throno,
Domine Deus, caelesti dono
Salva hunc populum te invocantem.
Agonem meum exspectantem.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Veni, inquit vox divina,
Mundi huius a ruina
Bravium caeli
Dono tolle fideli,
Qui ad caelos vidit sursum
Caelestes choros in occursum
Sibi pergentes martyrum,
Dei confessorum omnium
Christique apostolorum
Et sanctorum angelorum,
Offerentes aureolam;
Caput suum inclinavit,
Spiritum Deo commendavit
Tradens sanctam animam.

Brev. ms. Bambergense saec. 15. Clm. Monacen. 24004. — In 1. Vesp. **A** 1, 2 Quae tanti pontificis sollemnia. — **A** 1, 3 Hodie recolis. — **A** 5, 3 Datur. — In 1. Noct. **A** 3, 1 puritatem. — **A** 3, 2 Innocentem pietatem. — **R** 2, 2 mater. — In 2. Noct. **A** 1, 1 Plumbum, picem, ceram. — In 3. Noct. **R** 1, 2 qui. — **R** 2, 3 a fehlt. — **R** 2, 2 exat.

100. De sancto Erico.

In 1. Vesperis.

Antiphonae.

1. Assunt Erici
regis sollemnia, laude
Regem multiplici
collaudans, Suecia, gaude.

2. Gaudeat eximiis
Upsalia magnificata
Martyris exuviis
et signis glorificata.

3. Hic insignitus
sceptri regalis honore,
Dulciter ignitus
Christi fervebat amore.

4. Dulcis amice Dei,
per quem rex magnificatus
Es, clementer ei,
pro nobis funde precatus.

5. Da, Deus, ut mitis
regis, cuius veneramur

Festa, piis meritis
sanctis iungi mereamur.

Ad Magnificat.

A. Ave, martyr pretiose,
Miles Christi gloriose,
Ave, regum gloria,
O Erice, rex Sueorum,
Posce nobis peccatorum
Veniam et gaudia.

Ad Matutinum.

Invitatorium.

Christum suppliciter
laudemus ei iubilantes,
Erici pariter
sollemnia concelebrantes.

In 1. Nocturno.

Antiphonae.

1. Opem Christi flagitat
Rex ciliciatus
Et carnis subpeditat
Reprobos conatus.

2. Aqua frigens iugulat
Vim carnalitatis,
Virtus regem regulat
Moribus beatis.

3. Tyrannos audacior
Arcet et enervat,
Mites ipse mitior
In pace conservat.

Responsoria.

1. Ira, rancor, odium
Cedunt et ardescit
Dei desiderium
Nec unquam torpescit,
Per hoc felix studium
Scandit et ditescit.

V. *Ideo stabilita sunt bona ipsius in Domino.*

2. Lucris avaritiae
Pia mens abstracta
Lucris studet gratiae
Caelitus pertracta,
Cuncta sub iustitia
Stant pulchre compacta.

V. Nec iura, nec praedia
Plebis sunt subtracta.

3. Vana pompae practica
Contempta calcatur,
Pia lex angelica
Regi complantatur,
Scala caeli fabrica
Decens sic aptatur.

V. *Ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrimarum.*

In 2. Nocturno.

Antiphonae.

1. Pugil fortis fidei
Dum pro fide zelat,
Ad baptismum provehi
Perfidos anhelat.

2. Pacem offert hostibus
Et pugnans procedit,
Hostes cadunt ensibus,
Regi lucrum cedit.

3. Plorat strages hostium
Motu pietatis
Dans grave suspirium,
Quod sint cum damnatis.

Responsoria.

1. Cultum idolatriae
Cultor trinitatis
De terra Finlandiae
Pellit, illustratis
Turbis dono gratiae
Fideque purgatis.

V. *Dominus dabit benignitatem, et terra nostra dabit fructum suum.*

2. Precamur per vulnera
Tua, martyr Christi,
Purga nostra scelera,
Quod possimus sisti

Sursum supra sidera,
Quo tu conscendisti,
V. *Ut sit splendor Domini Dei nostri super nos.*

3. Summum decus patriae,
Fidei zelator,
Legum et iustitiae
Sanctus promulgator,
Sis divinae gratiae
Mitis impetrator.
V. Ut ad regnum gloriae
Nos ducat salvator.

In 3. Nocturno.

Antiphonae.

1. Rex erat Ericus
humilis, devotus, honestus,
Prudens, magnificus,
patiens, pius atque modestus.

2. Correxit Sueciae
leges, servire coegit
Christo perfidiae
gentes, quas ense subegit.

3. Digne promeruit
sanctis moriens sociari,
Qui Domino studuit
vivens vere famulari.

Responsoria.

1. Pax patriae, decus ecclesiae,
vitiis inimicus,
Rex Sueciae caelos hodie
conscendit Ericus,
V. Pro fidei fervore Dei
dilectus amicus.

2. Amens omnino
letali vulnere quino
Se vir transfixit,
quasi mortuus ille revixit,
V. Regis mirifici
meritis sanatus Erici.

3. O miles Christi,
qui martyrio meruisti
Sanctis coniungi,
iunctus diademate fungi,
Victor regali
fidei merito speciali,
V. Perveniant, qui te
laudant, ad gaudia vitae.

In Laudibus.

Antiphonae.

1. Hostia grata Deo
mactata petens paradisum,
Ecce, purpureo
reparavit sanguine visum.

2. Infanti genito
sine vita regis Erici
Vita datur merito
pariterque salus genetrici.

3. Martyr presbytero
linguae solvendo ligamen
Dat cum sincero
vocis modulamine famen.

4. Ferro transsecuit
proprium vir guttur, eique
Sanctus promeruit
vitam venerandus ubique.

5. O rex insignis,
cui servit nostra caterva,
Praefulgens signis,
nos protege, dirige, serva.

Ad Benedictus.

A. Corona fulgens aurea,
Flos dignitatis regiae,
Sanctus Ericus ignea
Vicit tela malitiae;
Sic victor vernans laurea
Rex et patronus Sueciae,
Felix de domo lutea
Transit ad regnum gloriae.

In 2. Vesperis.

Ad Magnificat.

A. Miles regis gloriae
Tutor innocentium,
Malleus perfidiae,
Rex Erice, bravium

Apprehendens in agone
Ense caesus hostium,
Nobis placa, martyr bone,
Iesum, Dei filium.

Infra Octavam.

Ad Magnificat.

A. Magnificemus Dominum,
Ericum qui magnificat
Et in salutem hominum
Signis crebris mirificat.

Ad Benedictus.

A. Benedictus es, Domine,
Erico qui post proelium
Das in sanctorum agmine
Caelestis regni solium.

Brev. Upsalense imp. Holmiae 1496. — In 1. Vesp. hymn: Adest dies laetitiae (Klemming I, 91); ad Noct.: Hymnum novae laetitiae (ibid. 92); ad Laudes: Laudes ad laudes iungite (ibid. 98).

Nachträge und Berichtigungen.

S. 11, Spalte 1, Zeile 4 v. o. lies Assunt statt Adsunt — Ibid. Zeile 9 v. o. lies ascitis statt adscitis.

Das Anna-Officium: Felix orbis, felix hora (S. 64) findet sich nach Chevalier Rep. hymnol. n. 16079 auch im Brev. Arosiense imp. Basileae 1513.

S. 101, Spalte 2, Zeile 11 v. u. lies Gingivas statt Gingiaas.

S. 147, Spalte 1, Zeile 15 sq. Der Versicel lautet im Brev. Opatovicense saec. 15. Cod. Vindobonen. 1962:

Per te ducem clarissimum
Ut exinde transeamus
Te obnixe flagitamus.

Inhalts-Übersicht.

I. Real-Index.

	Seite
1. De sancto Achatio.	11
2. De sancto Achatio.	15
3. Missa sancti Achatii	18
4. De sancto Adriano	18
5. De sancto Aegidio	22
6. De sancta Agatha	24
7. In Translatione s. Agathae .	26
8. De sancta Agnete	28
9. De sancto Alexio	30
10. De sancto Alexio	33
11. De sancto Alexio	36
12. De sancto Amato	38
13. De sancto Ambrosio	41
14. De sancto Ambrosio	44
15. De sancto Ambrosio	47
16. De sancto Ambrosio	50
17. De sanctis Angelis	51
18. De sancta Anna.	52
19. De sancta Anna.	58
20. De sancta Anna.	61
21. De sancta Anna.	64
22. De sancta Anna	66
23. De sancta Anna.	69
24. De sancta Anna.	72
25. De sancta Anna.	75
26. De sancta Anna.	78
27. De sancta Anna.	82
28. De sancta Anna.	85
29. De sancta Anna.	88
30. De sancta Anna.	89
31. De sancto Ansgario	89
32. De sancto Antonio	91
33. In Inventione s. Antonii . .	94
34. De sancta Apollonia. . . .	97
35. De sancta Apollonia. . . .	100
36. De sancta Apollonia. . . .	103
37. De sancta Apollonia. . . .	107
38. De sancto Arnoldo	108
39. De beato Arnulpho Villariensi	110
40. De sancto Aurelio.	111
41. De sancto Athanasio. . . .	114
42. De sancta Barbara	116
43. De sancta Barbara	121
44. De sancta Barbara	124
45. De sancta Barbara	128
46. De sancta Barbara	131
47. De sancta Barbara	133
48. De sancta Barbara	136
49. De sancto Barnaba	137
50. De sancto Bartholomaeo . .	137
51. De sancto Basilio	142
52. De sancto Benedicto. . . .	145
53. De sancto Benedicto. . . .	149
54. De sancto Bernhardino. . .	152
55. De sancto Bernhardino. . .	156
56. In Translatione s. Birgittae.	159
57. De sancta Birgitta.	162
58. De sancta Birgitta.	166
59. De sancto Bonaventura. . .	170
60. De sancto Bonaventura. . .	172
61. In Ordinatione s. Bonifatii .	176
62. De sancto Botuido	179
63. De sancta Breowa.	181
64. De sancto Brinolpho. . . .	182
65. De sancto Cannico	185
66. De sancto Carolo Magno. .	187

	Seite
67. De sancto Castulo	191
68. De sancta Christina	193
69. De s. Christino cum fratribus	196
70. De sancto Christophoro	199
71. De sancto Christophoro	202
72. De sancto Christophoro	204
73. De ss. Chrysanto et Daria	207
74. In Translatione s. Clarae	209
75. De sancto Claudio	212
76. De sancto Constantio	217
77. De sancto Constantio	219
78. De sancto Corbiniano	221
79. De sancta Cordula	225
80. De ss. Cosma et Damiano	226
81. De ss. Cosma et Damiano	228
82. De sancto Cyrillo	231
83. De sancto David	234
84. De ss. Desiderio et Reginfrido	236
85. De sancto Dominico	239
86. In Translatione s. Dominici	242
87. De sancta Dympna	243
88. De sancto Edmundo	246
89. De sancto Eligio	250
90. De sancta Elisabeth	253
91. De sancta Elisabeth	258
92. De sancta Elisabeth	260
93. De sancta Elisabeth	264
94. De sancto Elisaeo	268
95. De sancto Elisaeo	271
96. De sancto Erasmo	273
97. De sancto Erasmo	276
98. De sancto Erasmo	279
99. De sancto Erasmo	283
100. De sancto Erico	285

II. Verbal-Index.

Ad beatae virginis	24
Ad caelos vexit pia	181
Adest beatissimi Corbiniani	221
Adest dies celebris	193
Adest dies laetitiae	242
Adest iam festum celebre	75
Admiranda sanctitas	271
Ad sanctorum sollemnia	236
Alma mater Anna gaude	88
Anna sancta de qua nata	52
Ardens verbo martyr voto	234
Assunt Annae grata	89
Assunt Erici regis	285
Assunt festa gloriosa	11
Ave mater insignita	61
Ave mater pietatis	258
Ave virgo speciosa	225
Barbarae sollemnia	136
Benedicta sis trinitas	159
Bernhardinus vir catholicus	156
Birgittae matris inclitae	166
Bona Iesu cum ventura	170
Brinolphi patris merita	182
Clara luce clarior	209
Celebretur hodie	110
Celsum votis eximiis	142
Chrysantus illustris	207
Congaudentes laudent gentes	18
Consolator animae	137
Consona vox menti	121
De spina Hebraica	69
Dum contendit in agone	250
Ecclesiam Christi	36
Elegit Ambrosium	50
Elisabeth de rege	264
Exaltemus in suavi	131
Excelsum nomen Domini	199
Exoptata nitent	26
Exsultat ecclesia	100
Felix orbis felix hora	64
Florum fasciculus	28
Fraudis commentum sternitur	30
Fuit re et gratia	149
Fulget dies laetitiae	107
Gaudeat ex toto	94
Gaudeat Hungaria	260
Gaude felix Alexandria	15
Gaude felix parens Hispania	239
Gaude mater ecclesia	283
Gaude Sion ornata tympano	212
Gaude Sion ornata tympano	246
Gaudete Sion filiae	58
Gloriosum lumen	231
Gratia larga Dei	219
Gratulemur regi digna	116
Haec ad laudem summi regis	226
Hic athleta Dei	137
Illis horis et momentis	196
Illustrat mundi climata	44
In conspectu angelorum	51
Laetare Germania	253
Laetare mater ecclesia	108

	Seite
Laetare plebs catholica	19
Laetare salutaris	228
Laudibus magnificis	273
Ludovicus imperator	89
Magnificavit animam	97
Martyr Constanti	217
Martyris egregii	276
Nitet inter agmina	202
Nomen eius sic est dictum	191
Nova Christophorus mente	204
Nunc Aegyptus parens gaudeat	91
O felix Anna o sancta	66
O felix consortium	111
O festiva dies orbi	124
O martyr sancta	128
O pastor pie Cannice	185
O quam felix religio	268
O quam miranda est	22
O sardonyx candide	38
O Sion eximia	279
O virgo beata	183
Plebs Romana de patrono	33
Praeclarum late tibi vir	145
Prima nostrae salutis gaudia	85
Quasi stella matutina	72
Regali natus de stirpe	187
Regia ex prosapia	103
Rosa rorans bonitatem	162
Rutilat vir seraphicus	172
Sacerdotis aeterni bonitas	114
Sacro felix germine	243
Senarum civis inclitus	153
Sion sancta gratulare	176
Sol aeternae iustitiae	41
Summa laus sit genitori	78
Triumphantis militiae	179
Tu virtutum es viridarium	82
Vernante veris tempore	47

Pierer'sche Hofbuchdruckerei Stephan Geibel & Co. in Altenburg.

BQ
S253
.A5
Anal.

THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
59 QUEEN'S PARK CRESCENT
TORONTO — 5, CANADA

10805.